DISSERTATIONES

PHILOLOGICAE HALENSES

VOL. XIII.

HALIS SAXONUM

MAX NIEMEYER

MDCCCLXXXXVII.

INDEX DISSERTATIONUM.

BRUNO KAISER:

QUAESTIONES DE ELOCUTIONE DEMOSTHENICA.

ϵrβ

Demosthenis usum dicendi ut diligentius perscrutarer, studiis quibusdam ad or. 45 collatis inductus sum. De qua oratione cum adhuc non constet, utrum a Demosthene an ab aequali quodam summi illius oratoris confecta sit, permultis iam rebus aut ut condemnetur aut ut defendatur oratio prolatis nova quaedam argumenta neque ea parvi momenti ex Demosthenis elocutione examinata me allaturum esse putabam. Sed cum totius syntaxis Demosthenicae expositio plus oneris haberet, quam ut vires sufficerent, partem quandam ad ea quae mihi proposueram peragenda aptissimam quaerens diversas verborum dicendi et declarandi, cogitandi et sentiendi, sim. constructiones tractandas elegi; deinde peragratis orationibus et vere Demosthenicis et Apollodoro vindicatis reliquas etiam in quaestionem vocare facile animum induxi.

Quae tali modo inveni, in duas partes divisa exponam. Quarum priore quaestiones grammaticae continebuntur, quibus ad linguae Graecae historiam accuratius cognoscendam aliquid subsidiorum me paraturum esse spero. Quamquam enim multae artes grammaticae et in suo genere praeclarae a viris doctissimis conscriptae sunt, tamen historia illa linguae Graecae ab omnibus, quorum de ea se melius doceri interest, adhuc desideratur, ita ut philologos nostros huic operam quam maximam dare debere viri doctissimi suo iure dixerint.[1]) Atque multa iam ad texendum hoc opus, quod tale quale optamus nonnisi multis ea quae de singularum aetatum elocutionibus invenerunt contribuentibus

---

[1]) M. Schanz, Beitr. z. hist. Syntax d. gr. Spr. II, 1. p. VI. Cf. Bernhardy, Paralipomena synt. Gr. Comment. acad. Halis 1862. p. 33. J. La Roche, Beitr. z. gr. Gr. Lpz. 1893. p. III.

exigi posse apparet, multis dissertationibus congesta sunt. Sed cum in plurimis oratorum Atticorum sermo valde neglectus sit — id quod maxime perspicuum est, si quae de eo habemus cum iis comparamus, quae de poetarum et historicorum elocutionibus scripta sunt —, Demosthenis et aliorum, quorum scripta Corpore Demosthenico exhibentur, usum dicendi quibusdam ex partibus me illustrasse non plane inutile videbitur.

Deinde in altera dissertationis parte perpendam, quid ex his disquisitionibus grammaticis ad orationes vere Demosthenicas ab iis, quibus falso Demosthenis nomen ascriptum est, discernendas colligendum sit. Etenim ex sexaginta iis orationibus,[1] quinquaginta sex prooemiis,[2] sex epistulis, quae a Callimacho primo Demostheni attributa esse constare videtur, magnam partem spuriam esse et veteres grammatici perspexerunt[3] et omnes qui his temporibus de iis egerunt consentiunt. Sed quamquam permulti in his studiis versati sunt, satis multae sunt orationes, quas quis conscripserit dubitare licet, ut or. 25. *κατ' Ἀριστογείτονος α'*, 29. *πρὸς Ἄφοβον ὑπὲρ Φάνου ψευδομαρτυριῶν*, 39. *πρὸς Βοιωτὸν περὶ τοῦ ὀνόματος*, 41. *πρὸς Σπουδίαν ὑπὲρ προικός*, 45. *κατὰ Στεφάνου ψευδομαρτυριῶν α'*, 55. *πρὸς Καλλικλέα περὶ χωρίου βλάβης*, 57. *ἔφεσις πρὸς Εὐβουλίδην* al.; itemque de prooemiis et epistulis iudicia maxime discedunt. Quae mihi reputanti, cum linguae accuratam notitiam ad historiam litterarum illustrandam plurimum proficere ex Bernhardyi,[4] Dittenbergeri,[5] al. commentationibus persuasum haberem neque ab aliis idem spectantibus maiorem aliquam partem syntaxis Demosthenicae in quaestionem

---

[1]) Epistula Philippi, quae Corporis Demosthenici locum duodecimum obtinet, secludenda est. [2]) Vel potius duodesexaginta. Cf. Blass, Att. Bereds. III. ² 1893. p. 322. [3]) Cf. Blass l. c. p. 53 sqq. passim; Chronologia Dem. ed. Teubn. I. p. 1 sqq. [4]) Paralipomena p. 33: „Historiam litterarum Graecarum ars et elocutio scriptorum plenius percepta corroborare solet et longius promovet, praesertim in reconditis illis capitibus et omnium maxime necessariis, quae nostris potius sensibus et iudiciis quam auctoritatibus hominum antiquorum reguntur". [5]) Hermes XVI. p. 321: „Wo über Echtheit oder Unechtheit eines Schriftstellers entschieden werden soll, da kann es keine zuverlässigere Grundlage der Untersuchung geben, als eine genaue und eindringende Beobachtung des Sprachgebrauchs."

vocatam viderem, non alienum visum est quaerere, numquid ex observationibus ad illam pertinentibus ad genuinas Demosthenis orationes separandas conferre possem. Quibus si ex ulla parte notitia Demosthenica augeatur, valde gaudebo; qui omnia dubia diiudicare cupiet, ei maior quam qua uti mihi licuit materia congerenda erit. —

Pro textus autem fundamento editione Teubneriana usus sum: Demosthenis orationes ex rec. G. Dindorfii. Ed. IV. corr. cur. F. Blass. III. Ed. mai. Lips. 1892. 88. 91. (= Bl.). Quacum has recensiones contuli, in quibus citandis compendia singulis ascripta usurpabo:

(Bk.) Demosthenis orationes ed. I. Bekker. Ed. stereot. III. Lips. 1854/5.

(Dd.) Demosthenes ex rec. G. Dindorfii, IV. Oxonii 1846.

(Tu.) Oratores Attici. Rec. J. G. Baiterus et H. Sauppius. Turici 1839/43 (ubi Demosthenes p. 503—963 invenitur).

(Vo) Demosthenis Opera rec.... J.Th. Voemelius. Paris 1843; praeterea singularum orationum editiones Buttmanni (Bu) [or. 21 [5]1864], Dissenii (Di) [or. 18. 1837], Foxii (Fo) [or. 16. 1890], Funkhaenelii (Fu) [or. 22. 1832], Lipsii (Li) [or. 18. [2]1887], Rehdantzii et Blassii (RBl.) [or. 1—9. 18. 1884/90], Sandysii (Sa) [or. 20. 1890], Sandysii et Paleyi (SaP) [or. 34—37. 39. 40. 45. 46. 50. 53—55. II. 1874/75], Voemelii (Voem.) [or. 1—20. 1857. 62. 66. III.], Weilii (We) [or. 1—26. III. 1873/86], Weberi (Wb) [or. 23. 1845], Westermanni (Wr.) [or. 1—6. 8. 9; 18. 20; 23. 54. 57. III. vol. II. III. cur. Rosenberg].

Has ita adhibui, ut, ubicunque lectiones in verbis ad quaestiones nostras pertinentibus vacillant, librorum mss. scripturas eruere conarer eisque editorum coniecturas apponerem, omnibus autem aliis locis editionem Teubnerianam sequerer. Codicum compendia eadem abhibui quae editores recentissimi: S = Parisinus 2934 (S^1 eiusdem manum priorem, S^2 secundam indicat); L = Florentinus 136; F = Marcianus 416; B = Bavaricus (Monac. 85); A = Augustanus (Monac. 485); Y = Parisinus 2935; O = Antverpiensis; P = Laurentianus 59; Q = Marcianus 418;

t. v. k. r. = Parisini 2994, 339, 2998, 2936. Vind. = Vindobonensis n. LXX.

Restat, ut legum, plebiscitorum, oraculorum, testimoniorum sim. me rationem non habuisse, materiae autem collectae integritatem ex Indice Demosthenico a S. Preussio confecto (Lips. Teubn. 1892; in quo tamen non pauca aut omnino omissa aut perperam notata inveni) examinasse commemorem.

Jam vero ad ea quae nobis proposuimus explicanda pergamus.

Pars prior.

Quaestiones grammaticae.

Caput I.

De enuntiationibus explicativis a particulis ὅτι (διότι) et ὡς incipientibus.

§ 1. Enumerantur ea verba, ad quae enuntiationes explicativae per particulas ὅτι (διότι) et ὡς relatae sunt.

Nascetur igitur exordium ex illorum verborum indice, ex quibus in Corpore Demosthenico enuntiationes explicativae pendent. Quem, etsi non magni momenti esse videatur, tamen duabus de causis componendum esse existimavi: altera quia quaenam singulis temporibus usitata fuerint vocabula investigare operae pretium esse videtur, altera ut vel inde argumenta ea, quibus singulas orationes aut genuinas aut spurias esse probatur, augere conarer.

In enumerandis autem verbis ita facillime progrediar, ut primum verba personalia quae vocantur in verba dicendi et declarandi, cogitandi et sentiendi, accusandi et calumniandi distributa, deinde impersonalia quae appellantur tractem.

A) Verba personalia.

a) Verba dicendi et declarandi.

ἀγγέλλω ὡς 18, 169.[1])

ἀπαγγέλλω[2]) ὅτι 7, 21. 18, 32. 19, 60. 125. ὡς 19, 74. 127. 305. 324. 20, 73. μὴ ὡς — ἀλλ' ὅτι 14, 38 sq.

---

[1]) Charito p. 417, 39 (Hirschig) Demosthenem imitans (cf. Cobet, Nov. Lect. p. 372) ὅτι pro ὡς scripsit. [2]) ἀπαγγέλλω praecipue de

διαγγέλλω ὅτι 12, 16.
εἰσαγγέλλω ὅτι 50, 17.
ἄγγελος ἦλθε ὅτι 47, 65.[1])
(ἀγορεύω) προσαγορεύω ὅτι 59, 30.
ἀμφισβητῶ ὡς 33, 17. 34, 4. 57, 44.[2])
(ἀντῶ) ἀπαντῶ ὅτι 24, 193. 33, 36. ὡς 21, 151.
ἀπειλῶ ὅτι 24, 140.
ἀρνοῦμαι ὡς 9, 54. οὐκ ἀρνοῦμαι, ἀλλὰ προσομολογῶ ὡς 30, 27.
ἔξαρνος γίγνομαι ὡς 34, 47. 49.[3])
(βάλλω) ὑποβάλλω ὅτι 49, 63.[4])
[ἔργῳ] βεβαιῶ, -οῦμαι ὅτι 7, 10. ὡς 47, 5. 7.
βοῶ ὡς 19, 209. β. καὶ κέκραγα ὡς 18, 132. β. καὶ λέγω ὅτι 19, 119.[5])
(βουλεύω) συμβουλεύω ὡς 61, 18.
ἐν τῇ γνώμῃ παρίστημι ὡς 4, 17.[6])
γράφω ὅτι 19, 40. 23, 158. 219. 34, 17. 35, 18. II, 7. ὡς 20, 149. 23, 79. 162. 162. 32, 4. 34, 17. 17. 37, 23. 61, 1.
ἐγγράφω ὡς 37, 24.
προσγράφομαι ὅτι 21, 103.

---

legatis nuntios afferentibus usurpatur; οἱ πρέσβεις ἀπαγγέλλουσιν tamquam ex arte dici ex 19, 4 (λογίσασθε, τίνων προσήκει λόγον παρὰ πρεσβευτοῦ λαβεῖν· πρῶτον μὲν [τοίνυν] ὧν ἀπήγγειλε, δεύτερον δ κτἑ), 19, 82 (τοῦτο γάρ εἰσι πρεσβείας εὔθυναι, τί πέπρακται; τί ἀπήγγειλας;) aliisque locis elucet. Itaque ex 78 fere iis locis, quibus hoc verbum in Corpore Demosthenico legitur, 46 in unam orationem de falsa legatione dictam cadunt, 9 in orationem de corona habitam, cuius in magna parte de iisdem falsis Aeschinis legationibus agitur.

[1]) Cf. 18, 169 ἧκε δ' ἀγγέλλων τις. — ἄγγελος ἦλθε ὅτι iam apud Homerum legitur. [2]) ἀμφισβητεῖν 57, 44 „negare" significat, ita ut ὡς οὐ dici necesse fuerit: sed 33, 17. 34, 4. (cf. 18, 131) notionem habet contendendi, quam ob causam enuntiatio explicativa negatione caret. [3]) In enuntiatis explicativis ab ἀρνεῖσθαι et ἔξαρνον γίγνεσθαι pendentibus particula οὐκ usurpatur; quae cum 34, 43 (ὡς μὲν τοίνυν γέγονέ μοι τὸ συμβόλαιον πρὸς Φορμίων' Ἀθήνησιν, οὐδ' αὐτοὶ ἔξαρνοί εἰσι) desit, hunc locum ita explicare malim, ut ὡς non ad ἔξαρνοί εἰσι referam, sed absolute dictum esse = „quod attinet ad" intellegam. [4]) ὑποβάλλετε v. (Bk. Bl.): ὑπολάβετε S (Dd. Tu. Vo.). [5]) καὶ λέγει secl. Cobet V. L.[2] p. 448. [6]) παραστῆσαι S (Bl. RBl. Voem. We. Wr): παραστῆναι v. (Bk. Dd. Tu. Vo.).

δείκνυμι ὅτι 8, 73. 10, 10. 18, 99. 114. 206. 19, 83. 135. 160. 20, 11. 21, 67. 171. 30, 31. 32, 24. 38, 9. 21.[1]) 39, 6. 40, 24.[2]) 43, 73.[3]) 58, 61. III, 18. 23. pr. 24, 4. *ὡς* 2, 8. 18, 193.[4]) 19, 82. 203. 205. 335. 21, 28. 58. 23, 90. 25, 76. 86. 34, 5. 38, 27. 44, 5. 45, 43. 49. 52. 56, 27.[5]) *δείκνυμι καὶ διαμαρτύρομαι ὅτι* 42, 5.

δεικνύω[6]) *ὡς* 24, 66. 68. 45, 45.

δεῖγμα ἐκφέρω ὅτι 18, 291. *ὡς* 21, 183.

ἐπάνειμι ἐπὶ[7]) *τὰς ἀποδείξεις ὡς* 18, 42.

ἐνδείκνυμαι ὅτι 7, 6. 10, 9. 21, 200. 24, 77. 43, 68. 69.

ἐπιδείκνυμι ὅτι 7, 8. 19, 54. 203. 22, 10. 20. 25, 19. 26, 1. 16. 29, 22. 33, 35. 40, 19. 43, 2. 32. 50, 29. 51, 7. 52, 32. 57, 31. 59, 57. 82. *ὡς* 22, 28. 34. 23, 18.[8]) 24, 152. 27, 12. 24. 51. 28, 2. 29, 10. 46. 30, 14. 33, 4. 36, 19. 42. 60. 37, 1. 2. 17. 21. 38, 10. 39, 37. 40, 38. 60. 44, 15. 46, 3. 9. 12. 15.[9]) 50, 2. 52, 20. 53, 19. 59, 16. 17. 43. 119. pr. 37, 2.

ἐπιδείκνυμαι ὅτι 35, 25.

παράδειγμα γίγνομαι ὅτι 21, 76. *π. λέγω ὅτι* 25, 29. *ὡς* 20, 119. *π. ποιῶ ὡς* 36, 58.

δηλῶ ὅτι 9, 41. 20, 116. 23, 183. 44, 64. 59, 93. 100. 60, 20. *ὡς* 18, 110.[10]) 23, 164. 49, 69. 53, 22. *δηλῶ καὶ κατ-*

---

[1]) Eadem in paragrapho FQ. *δείξειν* exhibent pro *πάντας ἂν ὑμᾶς ὁμολογῆσαι*, ex iis quae antecedunt falso illatum. [2]) *δείξω* omnes: *διδάξω* A. [3]) *καὶ δεῖξαι* A. (Bl.): *καὶ ἐπιδεῖξαι* rell. [4]) Aken § 132 et 214 an. particulae *ὡς* hic notionem nostri „gesetzt dass" vindicat; neque vero usquam hanc interpretationem postulari puto, ne 59, 119 quidem, ubi potius duo enuntiata ad idem verbum relata esse crediderim; cf. pr. 34, 1. [5]) Adde or. 46, 5, ubi Bl. ante *ὡς ἔδει* infinitivum *δεῖξαι* excidisse suspicatur. — Dubitare licet, an 23, 117 *εἰ δείξειαν ὅπως, ἂν ἀδικεῖν βούλωνται, μὴ δυνήσονται* hic numerandus sit; mihi quidem Vo non recte videtur vertisse: „si probarent se, etiamsi vellent, nocere non posse"; malim: qua de re (cur) ... non possent. [6]) De formis in *-νύω* exeuntibus v. J. La Roche, Beitr. I., p. 155—60. [7]) Pro *ἐπὶ* Vind. 1. exhibet *εἰς*, quod Bl. olim recepit; sed cf. eiusdem ann. crit. vol. II, p. CXLIV. [8]) *τρία ἐπιδείξειν* codd., quamquam quattuor syllabae breves coacervantur; unus cod. Monac. Hermogenis p. 213 *δείξειν* praebet. Librorum auctoritatem secutus etiam Bl. *ἐπιδείξειν* retinuit. (29, 33 codd. verbum simplex et compositum permutant: *ἐδείχθη* A.: *ἐπεδείχθη* rell.) [9]) *ἐπιδεῖξαι* v.: *ὑποδεῖξαι* S.[1] (Dd.). [10]) Enuntiatum explicativum hic praeposito articulo plane substantivi vim accepit.

ηγορῶ ὅτι 45, 20; διότι 50, 57. δ. καὶ διορίζομαι 18, 40.
δῆλον ποιῶ ὅτι 18, 56. 22, 65 = 24, 172. III, 7. δῆλός εἰμι ὅτι 19, 111. 24, 110. πρόδηλός εἰμι ὅτι 25, 50.

δημηγορῶ ὡς 8, 74. 19, 321. pr. 41, 2. δ. καὶ συνηγορῶ ὡς 19, 15 sq.

δημηγορίας ποιοῦμαι ὡς 22, 48. 24, 161.[1])

διαφέρομαι ὡς 56, 46.[2])

διδάσκω ὅτι 11,2. 15,16. 18,229. 19,21. 24,108. 25,17. 44, 60. 49, 34. 55, 23. ὡς 20, 74. 134.153.166. 21,142. 23,25. 98. 157. 24, 189. 194. 29, 4. 32. 30, 19. 47, 13. 49, 21. 59, 86. pr. 26, 3. 34, 3. ἢ ὡς — ἢ ὡς — ἢ ὅτι — ἢ ὡς 35, 43. διδάσκομαι καὶ ἀκούω ὡς 19, 135 sq.[3])

δικάζω ὅτι 43, 5. 59, 125.

δόξαν περιποιῶ ὡς 12, 9. δόξαν ἔχω ὡς 2, 17.

ἐῶ[4]) ὅτι 20, 2. 99. 21, 103. 23, 125. 25, 18 sq. 38, 25.

ἐγγυητής εἰμι ὡς 8, 49 = 10, 24.

ἐλέγχω ὅτι 35, 27.[5]) 42, 29.
ἐξελέγχω ὅτι 7, 25. 23, 173. 28, 9. 29, 41. 31, 9. 44, 36. 45. 47, 4. 59, 125. ὡς 14, 38. 23, 66. 30, 37. 49, 4. 57. 59, 12. 90. ὅτι καὶ ὡς 46, 5.[6])

ἐλπίδας παρίστημι ὡς 19, 333.

(εἶμι, ἦλθον) διέξειμι, — ἦλθον ὡς 23, 13. 24, 12.
ἐπανῆλθον ὡς 59, 20. (cf. ἐπάνειμι ἐπὶ τὰς ἀποδείξεις ὡς 18, 42.[7])

(ἡγοῦμαι) διηγοῦμαι ὡς 47, 68.[8])

---

[1]) δημηγορίαν SL. (Bk. Dd. Tu. Vo. We.); etiam 22, 48 Vo. We. δημηγορίαν scripserunt. [2]) διαφέρομαι hic idem significat quod ἀμφισβητῶ. „Do you dispute", Sa. ad 56, 32. Itaque legitur: διαφέρονται δ' ὡς οὐ δεῖ. [3]) καὶ ταῦτ' ἤκουσεν secl. Cobet V. L.[2] 509. [4]) Huius verbi cum ὅτι coniuncti non nisi futuri forma ἐάσω invenitur in figura quae omissio (παράλειψις, παρασιώπησις) vocatur adhibita. [5]) ἐλέγχονται S. (Dd. Bl.): ἐξελέγχονται v. (Bk. Tu. Vo.). [6]) Cf. p. 7 an. 5. [7]) Cf. 18, 163: ἀλλ' ἐκεῖσ' ἐπάνειμι ὅτι … συνέβη et 21, 196 ἀλλ' ἐπ' ἐκεῖνο ἐπάνειμι, ὅτι τοῦ δήμου κατηγορήσει καὶ τῆς ἐκκλησίας. Quae tamen enuntiata explicativa cum non a verbo ἐπάνειμι pendeant, sed ἐκεῖσε et ἐκεῖνο latius expliceut, extra causam sunt; ceterum multa et ad verba dicendi, sentienti sim. et ad alia quaedam vocabula referri possunt. [8]) 59, 110 ὡς particula interrogativa videtur esse, sicut 24, 139. 54, 2.

ἥκω ἐπὶ τοῦτο ὡς 39, 27. 45, 51.
θορυβῶ ὡς 6, 26. 8, 30.[1]
θρυλῶ ὡς 61, 29.
ἰσχυρίζομαι ὅτι 15, 13. 19, 332.[2]) *ὡς* 33, 27.
(*κρίνω*) *ἀποκρίνομαι*[3]) *ὅτι* 23, 212. 30, 20. 35, 30. 36. 42, 6. 43, 49. 47, 35. 48, 6. 49, 55. 50, 31. 36. 37. 37. 40. 48. 50. 55. 56. 52, 5. 8. 53, 8. 12. 23. 56, 6. 59, 102.[4])
(*λαμβάνω*) *ὑπολαμβάνω* (= respondeo) *ὅτι* 19, 89.[5]) 22, 23. 23, 93. 24, 154. 38, 27. 39, 35. 43, 33.[6]) *ὡς* 22, 23.[7])
λέγω ὅτι 1, 2. 7, 20. 8, 30. 31. 71. 9, 11. 14, 8. 15, 6. 23. 17, 7. 18, 16. 174. 232. 19, 80. 168. 193. 194. 242. 253. 309. 20, 76. 21, 28. 48. 23, 106. 107. 117. 24, 145. 210. 212. 213. 25, 6. 27. 43. 60. 29, 40. 32, 15. 33, 10. 34, 9. 11. 13. 49. 35, 4. 29. 39, 30. 42, 17. 43, 33. 47, 33. 36. 49 sq. 57. 61. 48, 37. 37. 39. 40. 41. 45. 50, 5. 47. 47. 49. 51. 52, 3. 10. 10. 19. 30. 53, 6.[8]) 7. 10. 23. 56, 5. 57, 35. 59, 23. 69. 81. 110. 60, 19. 61, 17. 48. pr. 12, 1. 13. III, 36. — *ὡς* 3, 35. 4, 13.[9]) 5, 22. 6, 27. 30. 7, 2. 7. 8, 4. 6. 7. 35. 52. 56. 57. 73. 9, 6. 14. 30. 10, 55. 58. 71. 71. 11, 7. 13, 22 = 23, 198. 15, 13. 16. 22. 16, 5. 27. 17, 14. 18, 22. 68. 111. 158. 206. 240. 257. 318. 19, 24. 70. 73. 78. 147. ⟨182⟩[10]) 202. 204. 214. 235. 283. 336. 20, 2. 18. 24. 62.[11]) 76. 101. 105. 111. 131. 145. 21, 25. 27. 71. 120. 151. 191. 193. 22, 7. 17.[12]) 18. 21. 28. 36. 41. 51. (= 24, 162). 59. 59. 23, 47. 95. 98. 100. 160. 194. 24, 1. 4. 5. 60. 120. 187. 196. 208. 208. 25, 18. 29. 27, 49. 52. 28, 1. 5. 14. 29, 2. 14. 30, 10. 29. 31, 6. 12. 32, 8. 33, 24. 35. 35. 34, 14. 33. 36, 9. 18. 25. 34. 39. 37, 19. 20. 54.[13]) 38, 19. 25. 26. 39, 22. 32. 40, 20. 22. 29. 39. 41. 45. 41, 17.

---

[1]) *φατὲ καὶ θορυβεῖθ' ὡς κτἑ.* Recte Krüger Gr. Sprl. 64, 5, 4 *φατέ* vertit: „ihr sagt ja." Cf. 8, 32 *φατὲ καὶ βούλεσθε.* [2]) *διισχυρίζομαι* v. (teste We.). [3]) Cf. Karlowa, Bemerkungen z. Sprachgebr. d. Dem. Prgr. Pless 1883. [4]) Praeterea 43, 48 *ἀποκρίναιτ' ἂν ὅτι Μακάρτατος.* A. (Bk.); ceteri *ὅτι* recte omiserunt. [5]) *ὑπολαμβάνειν* codd. editores: *ὑποβάλλειν* mg. Morel. Cf. p. 6 a. 4. [6]) *ὑπολαμβάνετε* S. (Bl. Dd. Vo.): *ὑποβάλλετε* v. (Bk. Tu.). [7]) *ὑπολαμβάνετε* omnes praeter Maxim. W. V, 579, qui *ὑποβάλλετε* praebet. [8]) *ὡς* pro *ὅτι* ex iis quae antecedunt in A falso irrepsit. [9]) *ὡς ..· δεῖ* ut a *λέγων* ita etiam ab *ὡς ἐγνωκότων ὑμῶν καὶ πεπεισμένων* pendet. Cf. Weilii et Blassii annotationes. [10]) *μηδ' ἀνάσχησθ' ὡς οὐ δεῖ,* scil. *λέγοντος αὐτοῦ.* [11]) *ταῦτα λέγοντες* secl. Cobet. [12]) *ταῦθ' ὡς οὐ παρὰ τὸν νόμον ἐστίν* etiam ad *οὐδ' ὑμεῖς (ἂν) πεισθείητε* referendum est. [13]) *εἰ μὴ τοῦτο λέγεις ὡς ὃς*

45, 23. 34. 37. 43. 44. 83. ‹49,39›[1] 51, 5. 53, 6. 54, 14. 44. 56, 21. 41. 57, 62. 58, 27. 30. 31. 34. 46. 48. 63. 68. 59, 118. 60, 30. 61, 42. pr. 30, 1. 33, 2. *ὡς καὶ ὅτι* 24, 187. *λέγω καὶ αἰτιῶμαι ὡς* 19, 120. 37, 20. *λ. καὶ κατηγορῶ ὡς* 45, 47. *οὔτ' ἐρῶ . . . οὔτε δεῖξαι δυνήσομαι ὡς* 20, 98.

ἀντιλέγω ὅτι 22, 9. *ὡς* 8, 31. 13, 2. 16, 4. 14. 22, 12. pr. 12, 1. 49, 1.[2])

προλέγω ὅτι 5, 10. 16, 12. 19, 321. *πρ. καὶ δείκνυμι ὅτι* 20, 103.

συνεῖπον καὶ παρῄνεσα ὡς 13, 1.

λόγον λέγω[3]) *ὡς* 7, 2. 16, 14. 20, 120. 21, 104. 22, 17. 23, 92. 110. 27, 25. 36, 43. 58, 16. Passive dicuntur *οἱ λόγοι οἱ παρ' ἐμοῦ λεγόμενοι ὅτι* 59, 82 et *οἱ παρὰ τούτου λόγοι τότε ῥηθέντες ὡς* 18, 35.[4]) — *λόγον προσφέρω ὅτι* 48, 6. — *παράγω τῷ λόγῳ ὡς* 46, 1.[5]) *ἐπαίρω τῷ λόγῳ καὶ φυσῶ ὡς* 59, 38.[6]) *οὐδ' ἐκείνων ἀπέχομαι τῶν λόγων ὅτι* 22, 42. *ὡς . . . καὶ ὅτι* 24, 190. *οὐδ' ἐκείνου γ' ἀποστατέον τοῦ λόγου ὅτι* 20, 139.

λογοποιῶ ὡς 6, 14. 21, 198.

λογοποιοὺς καθίημι ὡς 24, 15.

ἀπολογοῦμαι[7]) *ὡς* 59, 119. *ἀπολ. καὶ μαρτυρίας παρέχομαι ὅτι* 33, 32.

ἂν σοὶ δανείσῃ τοῦτον δημοσίᾳ μισεῖσθαι προσήκει. Bl. *ὡς* delendum et *προσήκειν* scribendum censet.

[1]) *εἰπεῖν* add. Hirschig, Gebauer Lys. p. 221 (Bl.); *λέγειν* add. Reiske. Omnia haec in A omissa sunt. [2]) *ἀντιλέγω ὡς οὐ* = negare, *ἀντιλέγω ὅτι* = contra verba alicuius alia quaedam pro argumentis proferre. 19, 303 (*ἀλλὰ μὴν ὅτι ταῦθ' οὕτως ἔχει, αὐτὸς οὐχ οἷός τ' ἀντειπεῖν ἔσται*) *ὅτι* absolute dictum esse (= quod, quod attinet ad) et ex ipsa particula *ὅτι* et ex omissa negatione videtur. [3]) Accusativi *λόγον* et *λόγους* verbo *λέγειν* adiuncti ubique vel pronominibus (*τοῦτον, ἐκεῖνον, τοιοῦτον*) vel adiectivis (*ἀσεβεῖς, δεινούς, κενότατον, πολλούς*) accuratius definiuntur. [4]) Cf. 13, 16 ubi Madvig, Adv. crit. I, 456, particula *ὅτι* inserta scripsit: *ἕτεροί γε λόγοι παρερρυήκασι πρὸς ὑμᾶς ψευδεῖς ... οἷον ὅτι ἐν τοῖς δικαστηρίοις ὑμῖν ἐστιν ἡ σωτηρία καὶ δεῖ τῇ ψήφῳ τὴν πολιτείαν ὑμᾶς φυλάττειν.* [5]) Cf. 23, 95 *παραγωγὰς δέ τινας τοιαύτας ἐρεῖ ὡς κτέ.* [6]) De duabus constructionibus hac in paragrapho confusis cf. Schaeferi annot. ad h. l. [7]) Cf. Cobet V. L.[2] p. 377.

ἀπολογίᾳ καταχρῶμαι ὡς 49, 63. ἀπολογίαν ποιοῦμαι ὅτι 49, 59.

(λείπω) παραλείπω ὅτι 9, 21. 19, 182. 22, 52 = 24, 163. 57, 18.

(μαρτύρομαι) διαμαρτύρομαι ὅτι 19,45. 48,46. [cf. 42,5]. ἐπιμαρτύρομαι ὅτι 34, 28.

μαρτυρῶ ὅτι 9, 62. 23, 162. 24, 16. 33, 16. 29. 30. 35,50. 36, 14. 46, 19. 47, 11. 27. 48, 4. 55, 15. 57, 69. ὡς 19,40. 28,2. 29, 37. 33, 31. 34, 41. 37, 23. 40, 24. 31. 41, 19. 45, 23. 46, 25. 47, 6. 13. 25. 39. 78 ter. 49, 34. 37. 38. 43. 52, 15. 52. 57,23. 58,10. ἢ ὡς — ἢ ὅτι — ἢ ὅτι — ἢ ὡς — ἢ ὅτι — ἢ ὡς 43, 40. μ. καὶ ἐπιδείκνυμι ὅτι 40, 19.

μάρτυς γίγνομαι ὡς 27, 14.[1]) μ. εἰμί ὡς 37, 18. 47, 15. μάρτυρές εἰσιν... καὶ περιφανῆ τεκμήρια ὡς 49,65.

μάρτυρα(ς) παρέχομαι ὅτι 19, 205. ὡς 28, 2. 30, 9. 36. 38. 33, 22. 41, 6. 45, 5. 46, 2. 57, 46. 59, 5. ὡς ... ἔπειθ' ὅτι .. εἶθ' ὅτι 57, 19.

μάρτυρας ποιοῦμαι ὡς 47, 16. 17.

μαρτυρίαν δίδωμι ὅτι 59, 63. μ. ἐμβάλλομαι ὡς 28, 1. 40, 58. 47, 16. μ. καταλείπω ὅτι 20, 96.[2]) μ. παρέχομαι ὅτι 48, 33. ὡς 28, 1. 43, 31. 47, 46. 49, 41. 50, 57. 59, 55. 88. μ. ποιοῦμαι καὶ παρακαταθήκην καταλείπω ὅτι 59, 76. ἀναγνώσομαι, — εται, ἀναγίγνωσκε, ἀνάγνωθι τὰς μαρτυρίας ὅτι 43, 35. 48, 3. 34. ὡς 38, 3. 39, 36. 42, 23. λαβὲ τὴν (τὰς) μαρτυρίαν(-ας) ὅτι 35, 33. ὡς 36, 48. 41, 24. 57, 23.

μυθολογῶ ὡς 60, 29.

νεανιεύομαι ὡς 19, 194.

ὁμολογῶ ὅτι 20, 26. 30, 12. 32, 2. 37, 58 = 38, 21.[3]) 50, 11. 56, 37. pr. 22, 1. ὡς 7, 14. 24, 152. 59, 5.

ὁμολογούμενον καθίστημι ὅτι 7, 9.

συνομολογῶ 26, 10.

---

[1]) 27, 7 (τὸ δὲ πλῆθος τῆς οὐσίας οτι τοῦτ' ἦν τὸ καταλειφθέν, μέγιστοι μὲν αὐτοὶ μάρτυρές μοι γεγόνασιν, ... δεῖ δὲ καὶ καθ' ἕκαστον ὑμᾶς ἀκοῦσαι τὰ τ' ἐνεργὰ αὐτῶν καὶ ὅσ' ἦν ἀργὰ καὶ ὅσου ἦν ἄξι' ἕκαστα) **hic non numeraverim; intellegam potius: sed quod ad fortunarum relictarum multitudinem attinet etc.** [2]) **Sa** ὅτι παρανομεῖ **delendum putat.** [3]) **Cf. p. 7 ann. 1.**

(*ὄμνυμι*) *ἀντόμνυμι* ὡς 43, 3.
ἀπόμνυμι ὡς οὐ 21, 120. *διόμνυμαι* ὡς 59, 10.
προόμνυμι ὡς 29, 52.
ὄνομα τίθημι ὅτι 35, 26.
(*ὁρίζω*) *διορίζω* 19, 223. 244.
πείθω ὡς 7, 18. 19, 61. 204. 24, 66. 76. 40, 9. 10. 49, 4. 52, 15. 29. 58, 54. 62. Cf. 4, 13. 22, 17. 23, 25.
πεῖραν δίδωμι ὅτι 16, 29. 24, 24. 36, 43.
πιστὸν δίδωμι ὡς 25, 100.
προφασίζομαι ὡς 33, 18.
σημεῖον λέγω ὅτι 32, 16. *σ. παρέχομαι* διότι 58, 43.
σιωπῶ ὡς 9, 50.
(*στέλλω*) *ἐπιστέλλω* ὅτι 53, 5. ὡς 7, 19. 41.
(*σκευάζω*) *κατασκευάζω* ὡς 20, 110. 43, 65. [59, 9.] [1])
τεκμήριον δείκνυμι ὡς 57, 63. *τ. λέγω* ὅτι 36, 19. 49, 45. ὡς 49, 48. *τ. ποιοῦμαι* ὡς 37, 1. 57, 6. — *τεκμηρίῳ χρῶμαι* ὡς 45, 13. *τ. καταχρῶμαι* ὅτι 49, 57. ὡς 47, 30. — *τεκμήρια* subaudias 47, 29: *ψηφίσματα καὶ νόμους παρεχομένῳ* ὡς. Cf. *τεκμήριον ἕστηκα* ὡς 20, 37.
(*τίθημι*) *παρατίθημι* ὡς 10, 55.
προστίθημι ὅτι 18, 231. 19, 45.
ὑποτίθημι ὅτι 35, 54.
ὑπισχνοῦμαι ὅτι 19, 102. ως 7, 34.
(*φαίνω*) *ἀποφαίνω* ὡς 27, 49. 45, 52. *ἀποφ. καὶ μεμαρτύρηται* ὅτι 59, 49.
φανερὸν ποιῶ ὅτι 8, 37. 31, 4. *φανερὸς γίγνομαι* ὅτι 23, 175. *καταφανὴς γίγνομαι* ὅτι 48, 50. 51. *κ. εἰμι* ὡς 47, 74.
φημί [2]) ὅτι 16, 20. 19, 88. 20, 135. ⟨22, 23.⟩ [3]) 24, 204. ὡς 4, 48. 27, 19. [4])

---

[1]) „Non intellego istam constructionem *κατασκευάσας ὡς εἴησαν*", Taylor. Cum lacuna verborum omissorum in Sr. capax sit (Bl.), fortasse *λέγειν* supplendum est; cf. 55, 1 *τὸν ἀνεψιὸν τὸν ἑαυτοῦ κατεσκεύασεν ἀμφισβητεῖν μοι τῶν χωρίων*. Participium *λέγοντας* suppl. Reiske; idem vel potius *ἐροῦντας* N. Sjoestrand, Comment. Acad. Lund. 1889 p. 11 proposuit. [2]) Errat W. Rutherford (Babrius, Lond. 1873 p. LVI) cum verbum *φημί* exceptis Xenophontis scriptis apud eos tantum scriptores qui mera dialecto Attica iam destructa floruerunt cum particula

φράζω ὅτι 50, 26 = 27. εἰδότι φράζω ὅτι 25, 47. φράσω καὶ οὐκ ἀποκρύψομαι ὅτι 19, 3. 24, 200.

(*χειροτονῶ*) ἀντιχειροτονῶ ὡς 59, 5.

(*χρῶμαι*) καταχρῶμαι[1]) ὅτι 48, 44. ὡς 43, 39.

ψεύδομαι ὅτι 43, 29. ὡς 27, 53.

τὴν ψῆφον φέρω ὡς 57, 61. cf. λέγε τὸ ψήφισμα ὡς 19, 161.

b) Verba cogitandi, sentiendi sim.

ἀγνοῶ[2]) ὅτι 1, 16. 3, 14. 7, 13. 8, 13. 9, 29. 10, 2. 18, 81. 238. 19, 22. 20, 34. 56. 105. 119. 143. 165. 21, 15. 156. 23, 6. 90. 25, 1. 13. 31. 36, 44. 39, 1. 22. 27. 45, 78. 48, 52. 56, 48. 57, 16. 58, 58. pr. 32, 2. 38, 3. 39, 3. 45, 2. III, 6. IV, 1. ὡς 40, 21. III, 23. οὐκ ἀγνοῶ οὐδ' ἐμὲ λέληθεν ὅτι 36, 28.

αἰσθάνομαι ὅτι 5, 8.[3]) 19, 77. 23, 210. 32, 5. 36, 48. 43, 23. 64. 66. 45, 79. 48, 5. ὡς 23, 114. 24, 39.

ἀκούω ὅτι 6, 33.[4]) 19, 22. 306. 23, 152. 165. 29, 58. 34, 17. 37, 9. 19. 39, 21. 43, 21. 67. 47, 67. 58, 52. (de 19, 65. 21, 184. 24, 109. 155. 43, 32. cf. § 2.). ὡς 1, 22. 14, 12. 19, 306. 20, 54. 58, 24. ὡς ... καὶ ὅτι 59, 79. ἀκούω καὶ καταμανθάνω ὅτι 20, 98. ἀκηκόατε καὶ μεμαρτύρηται ὑμῖν καὶ ὡς — καὶ ὅτι 48, 35.

γιγνώσκω ὅτι 3, 10. 8, 39 = 10, 11. 12, 17. 16, 19. 19, 245. 22, 38. 44. 63. 23, 83. 118. 158. 159. 169. 195. 24, 32. 146. 27, 27. 29, 29. 40. 30, 4. 28. 33. 34, 1. 36, 52. 37, 18. 43, 62. 45, 2. 5. 15. 27. 46, 11. 48, 46. 51, 7. 53, 21. 58, 10. 59, 53. 68. 100. 104. pr. 11, 1. 30, 2. (cf. 20, 2.). — ὡς 1, 14. 11. 3. 34, 47. 36, 3. 37, 39. 46, 14. 59, 89. pr. 1, 2 (cf. 4, 13. 47, 74.). διότι 58, 36. ὡς .. καὶ ὅτι 29, 50. γιγνώσκω καὶ ὁρῶ ὅτι 10, 7.[5]) τὴν γνώμην ἔχω ὡς 4, 5. [cf. ἐν τῇ γνώμῃ παρίστημι p. 6.].

ὅτι consociari contendit. [3]) *φῇ* ex iis quae antecedunt supplendum est. [4]) His locis 21, 98 addendus est, nisi illic *ὅτι* pro particula causali habemus.

[1]) Blass, Att. Bereds. III, 1[2] p. 556 *καταχρῶμαι* absolute dictum deterioris Graecitatis esse docet. [2]) *ἀγνοῶ ὅτι* in negativis tantum enuntiatis occurrit. [3]) Pro *ᾐσθῆσθαι* Bl. c. AY. *γιγνώσκειν* scripsit; *ᾐσθῆσθαι* restituit vol. II. p. CXXXII. Cf. 19, 1. 24, 39. [4]) *ὅτι ... ἐστιν* simul ad *ἀκούητε* et *ὁρᾶτε καὶ εὖ εἰδῆτε* referendum est. [5]) *ἵν'*

ἐλπίδ' ἔχω ὡς 28, 21. [cf. ἐλπίδας παρίστημι p. 8.].

ἐνθυμοῦμαι ὅτι 9, 53. 15 16. 35. 16, 30. 19, 1. 239. 310. 20, 8. 21, 8. 11. 54. 197. 22, 43. 46. 23, 162. 177. 33, 29. 40, 22. 23. 47. 50. 61. 43, 60. 44, 4. 45, 25. 44. 46, 15. 28. 53, 29. 57, 3. 59, 116. 61, 4. pr. 12, 2. 26, 1. 32, 3. — ὡς 57, 57. ὅτι καὶ διότι 61, 37. ἐνθυμοῦμαι καὶ ὁρῶ ὅτι 20, 118.

ἐπίσταμαι ὅτι 14, 34. 16, 8. 18, 174. 21, 173. 24, 109. pr. 20, 1. ὡς 16, 9.

εὑρίσκω ὅτι 24, 81.

θεῶμαι ὅτι 19, 341.

θεωρῶ ὅτι 26, 16. 39, 19.

(λαμβάνω) παραλαμβάνω ὡς 60, 28.

ὑπολαμβάνω[1]) (= existimo) ὡς 20, 35. 32, 21. 36, 28. 61, 34. 38. III, 8.

(λανθάνω) ἐπιλανθάνομαι ὅτι 35, 1.

λογίζομαι ὅτι 4, 4. 31. 15, 19. 18, 120. 19, 338. 20, 49. 22, 22. 23, 74. 145. 24, 206. 36, 8. 45. 45, 48. 48, 6. 54, 32. 56, 13. pr. 9, 1. 21, 3. 24, 3. 25, 2. 39, 1. 53, 2. I, 13. V, 3. — ὡς 11, 20.

λογισμὸν λαμβάνω ὅτι 23, 156. λ. λογίζομαι ὅτι 59, 57.

διαλογίζομαι ὅτι 23, 26. 25, 25.

ἐκλογίζομαι καὶ θεωρῶ ὅτι 21, 123.

ἐπιλογίζομαι ὅτι 44, 34. 54.

ὑπολογίζομαι ὅτι 19, 126.

μανθάνω ὅτι 4, 39. 20, 15. 22, 25. 23, 138. 24, 32. 91. 27, 32. 37, 52. 38, 9. 40, 24. 44, 60. 56, 33. 57, 46. ὡς 27, 54. 44, 12. 59, 14.

καταμανθάνω ὅτι 55, 2. 61, 40. ὡς 44, 57.

μέμνημαι ὅτι 18, 34. 19, 171. 236. 23, 215. 36, 25. 40, 30.

συμμέμνημαι[2]) ὅτι 46, 2.

ἐμνήσθην ὅτι 24, 138. ὡς 18, 129. ἀνεμνήσθην ὅτι 19, 249. 34, 49. 50, 4. 52, 32.

ὑμῶν ἕκαστος .. τοῦτο γνῷ καὶ ἴδῃ S.[1] v. (Bk. Bl. Tu. Vo. Voom): εἰδῇ S.[2] A. Stob. Flor. 43, 67 (Dd. We.).

[1]) ὑπολαμβάνω = existimo ubique negatione aliqua instructum est. [2]) „A verb apparently never used elsewhere, except in later Greek.“ Sa.

μνημονεύω ὅτι 15, 6.[1]) 24, 41.
(*νοῶ*) ἐννοῶ ὅτι III, 11. — οὖμαι ὡς 11, 9. 21.
ὑπονοῶ ὅτι 46, 1.

οἶδα[2]) ὅτι 2, 25. 3, 2. 9. 11. 4, (12) 29. 50. 50. 51.[3]) 5, (10) 15. 20. 22. (6, 29. 30.) 7, (20) 26. 8, 11. 32. 41. (= 10, 13.) 43. (= 10, 15) 58. (= 10, 60.) 60. (= 10, 62.) 74. 9, (1) 30. 12, 9. 13, 16. 14, 36. 16, 24. 17, 19. 18, 94. 156.[4]) (171) 173. 174. 195. 202. 268. 272. 276. 277. (293) 305. 315. 19, (7. 9. 9.) 26. 31. 44. 57. 70. 83. 86. 88. 98. 116. 135. 148. 149. 151. 154. 187. 190. 192. (206 bis) 215. 247. 264. (273) 285.[5]) (304. 309) 312. 20, 22. 26. 27. 31. 75. 88. 127. 155. 21, 26. (27) 29. (29) 32. 51. 56. 60. (65. 71) 77.[6]) 82. 99. (160) 169. (181) 186. 202. 219. 22, 4. 13. 14. 25. 62. 62. 75. (= 24, 183.) 23, (33) 61. 67. 88. 102. 105. 116. 117. 118. 130. 139. 145. (146) 174. 220. 24, 36. (53. 81) 91. 123. 143. 158.[7]) [163][8]) 187. (204) 211. 217. 25, (27. 29) 36. (47) 27, 2. 7. 8. 34. 28, 22. 24. 29, 2. 5. 9. 22. 30, 3. 5. 23. 26. 35. 31, 12. 33, 14. 34, 30. (35, 43. 45. 36, 3. 31.[9]) 37, (2) 8. 17. 45. 38, 4. 17. 39, 20. 40, 15. 21. 40. 44. 58. 58. 41, 18. 42, 13. (43, 41. 48.) 44, 8. 45, 15. 19. 48. 51. 71. 46, 2. 9. 28. 47, 10. 11. 18. 31. 73. 78. 48, (2) 40. 49, 18.[10]) 31. 61. 61. 50, 41. 44. 45. 65. 66. 52, 17. 22. 28 32. 53, (3) 11. 54, (2) 6.[11]) 10. 55, 9. 22. 34. 56, 1. 9. 58, 15. 48. 64. 59, 44. 64. 74. 85. 87. pr. (7, 2). 10, 2. 23α. 23β. 26, 2. II, 8. III, 5.[12]) — ὡς 40, 5. 52. 46, 18. 55, 8. ὅτι .. ἔτι δ' ὡς 55, 27. *οἶδ' ἀκούων* ὅτι 4, 24. 23, 182. 38, 7. (cf. 6, 33.). *οἶδα καὶ μέμνημαι* ὅτι 18, 249.

---

[1]) Y, la critique des textes Grecs à l'école pratique des hautes études (Revue de philologie III, 32—60), ὅ τι pro ὅτι scribendum proponit. [2]) Numeri uncis inclusi eos locos indicant, ubi οἶδ' ὅτι, ἴσθ' ὅτι adverbiorum loco usurpantur. Cf. Goodwin Synt. 705, Kuehner, Gr. § 548, 3. 551, 6 an. 1., Madvig. Synt. § 193 an., We. ad 9, 1. 19, 9. [3]) ὥσπερ οτι .... συμφέρει ... οἶδα v. (Bk. Dd. Tu. Vo. We.): ὥσπερ συμφέρον οἶδα Y (Schaefer Bl.). [4]) ἵν' εἰδῆτε omnes: ἵν' ἴδητε Bl. [5]) ἵνα τοίνυν εἰδῆθ': ἴδηθ' Vind. 4. [6]) ἵν' εἰδῆθ': ἵν' ἴδηθ' Bl. (num.) [7]) Pro ὅτι in AY ὡς legitur. [8]) εὖ οἶδ' ὅτι del. Bl., quod haec verba, quae 22, 52 desunt, malum syllabarum brevium concursum efficiunt. [9]) Eadem in paragrapho Schaefer et Bl. alterum εὖ οἶδ' ὅτι recte omiserunt. [10]) ἴδειτε S[1], ἴδητε FQ.: εἰδῆτε (Bk. Bl. Dd.) [11]) εἰδῆτε omnes: ἴδηθ' Bl. suspicatur. [12]) Adde etiam 27, 8 ubi Bl. pro librorum ἔπειθ' ὅτι scripsit: ἵν' εἰδῆθ' ὅτι.

πρόοιδα ὅτι 8, 50 = 10, 26.
σύνοιδα ὅτι 27, 57. 29, 12. 49. 48, 6. 60, 25. 61, 7.
σύνοιδα καὶ πρόδηλόν ἐστιν ὅτι pr. 46, 3.
ὁμογνώμονες γιγνόμεθα ὡς 10, 75.
ὁρῶ ὅτι 2, 5. 4, 5.[1] 6, 8.[2] 14, 15. 15, 17. 18, 7. 49. 87. 118.[3] 158. 177.[4] 19, 29. 95 157. 239.[5] 254.[6] 270.[7] 271. 283. 294. 300. 302. 21, 151. 22, 30. 76. (= 24, 184.[8]) 23, 89. 156. 162. 24, 27.[9]) 25, 32. 36, 6. 32. 39, 23. 41, 28.[10] 44, 63. 45, 29. III, 20. V, 3 *ὡς* 3, 3. 11, 7. 19, 126. 20, 28. 23, 50. 123. 31, 8. 36, 1. 60, 2. pr. 1, 3. *ὁρῶ καὶ γιγνώσκω ὅτι* 21, 143.[11] *ὁ. καὶ θεῶμαι ὅτι* 4, 3.[12] *σημεῖον ὁρῶ ὅτι* II, 18.
καθορῶ ὅτι 24, 156. *ὡς* 23, 135.
παρορῶ ὅτι 24, 156.
συνορῶ καὶ λογίζομαι ὅτι 45, 68.
πεῖραν ἔχω ὅτι 23, 179. [cf. 15, 16. *πεῖραν δίδωμι* p. 12.]
πιστεύω ὅτι 58, 34. *οὐ πιστεύω ἀλλὰ λογίζομαι ὅτι* pr. 53, 3.
πυνθάνομαι ὅτι 3, 35. 47, 38. 48, 19. 49, 16. *ὡς* 9, 12.
(*σκέπτομαι*)[13] *ὅτι* 17, 10. 23, 94.[14] 31, 10. 49, 37. 52, 25. *διότι* 46, 16. *σκ. καὶ λογίζομαι ὅτι* 20, 83.
σκοπῶ ὅτι 8, 10. 19, 38. 20, 25. 23, 38. 129. 24, 210. 36, 34. 54, 27. *ὡς* 24, 117. 29, 35.
ὑποψίαν ἔχω ὡς 57, 25. 61, 5. *ὑπ. λαμβάνω ὡς* 29, 24.

c) Verba accusandi calumniandi, sim.

(*ἀγορεύω*) *καταγορεύω ὅτι* 48, 16. (= *ἐξελέγχω*).
αἰτιῶμαι ὡς 22, 2. = 24, 7. 33, 37. 57, 19. *αἰτιῶμαι καὶ λέγω ὡς* 56, 11. [cf. *λέγω καὶ αἰτιῶμαι* p. 10].

---

1) *εἶδε* S. (editores): *οἶδε* v.: *ᾔδειν* ci. Cobet. 2) *εἶδε* S. (editores): *οἶδε* L. v. 3) *ἴδηθ'* S.: *εἰδῆτε* L. v.: (Dd. Di. Li.). 4) *ἰδοῦσιν* SL.: *εἰδοῦσιν* AY, *εἰδόσιν* v. (Dd. Di.). 5) *ὅτι* S. (editores): *διὰ τί; ὅτι* L. v. 6) *ἴδηθ'* S.: *εἰδῆθ'* v. (Dd.) 7) *ἰδεῖν* S.: *εἰδέναι* L. v. 8) *εἶδεν* S. (editores): *οἶδεν* v. 9) *ἴδηθ'* SL.[1]: *εἰδῆθ'* (v. Dd.). 10) *ἴδωσιν* (*ιδωσιν*) S.: *εἰδῶσιν* v. (Dd.) 11) *ἴδητε* Bl. c. Rhen. IV, 539: *εἰδῆτε* rell. 12) *ἴδητε* Bl.: *εἰδῆτε* rell. Cf. RdBl. krit. Anh. p. 177. 13) Praesens *σκέπτομαι* in sermone Attico fere inusitatum est; fut. et aor. saepe leguntur. cf. Veitch Greek Verbs Oxford[2] 1887. p. 591, Kuehner-Blass, Grammatik I, 2 (Hannover[3] 1892) p. 537. 14) Ante *ὅτι* in F *ὁρῶν* insertum est.

αἰτίας φέρω ὡς 58, 22. — *αἰτίαν ἐπιφέρω ὡς* 33, 22.
(*βάλλω*) *διαβάλλω ὡς* 57, 18.
βλασφημῶ καὶ λέγω ὡς 18, 82.
(*γιγνώσκω*) *καταγιγνώσκω ὡς* 21, 4. 32, 22. 61, 5.
γράφομαι (= accuso) *ὡς* 59, 62.
κατηγορῶ ὅτι 23, 13 (*κατηγορεῖ* = *δεικνύει*). *ὡς* 19, 75. 21, 134.
κατηγορίαν ποιοῦμαι ὡς 22, 43. — *κατήγορος γίγνομαι ὅτι* (= *ἐξελέγχω*) 45, 23. *ὡς* 24, 87.
(*καλῶ*) *ἐγκαλῶ ὡς* 17, 19. 38, 16.
(*μαρτυρῶ*) *καταμαρτυρῶ ὅτι* 43, 47 (= *ἐξελέγχω*). *ὡς* 29, 7. 57, 34. 59, 49. 62.
ὄνειδος παρασκευάζεται ὡς 19, 78.
φοβῶ ὡς 14, 25. Cf. *τὸν φόβον ἀναιρῶ ὡς* 10, 36.

Reliqui loci, quibus enuntiata ab *ὅτι* vel *ὡς* incipientia ad verba accusandi vel laudandi vel affectuum referuntur, hic praetermittendi sunt, cum enuntiata illa pro causalibus habenda sint, non ab iis quae nominavi ut a genuinis verbis dicendi vel sentiendi pendeant.

B) Verba impersonalia.

ἔστι τις ἀμφισβήτησις ὡς 18, 131.
γνώριμόν ἐστιν ὅτι pr. 50, 3.
δῆλόν ἐστιν ὅτι 1, 5. 2, 19. 4, 43. 8, 8. 26. 17, 27. 18, 41. 313. 317. 19, 33. 76. 329. 21, 162. 22, 19. 23, 16. 24, 66. 30, 10. 18. 31, 3. 5. 11. 12. 52, 23. 55, 30. 56, 42. 58, 49. II, 14. *ὡς* 8, 16. 18, 10. 23, 163. *διότι* 58, 42. His adiungam eos locos ubi *δῆλον ὅτι* adverbii („nimirum", „scilicet") munere fungitur; a quibus eos, ubi ab editoribus *δηλονότι* scriptum est, non separabo: 5, 25. 8, 37. 18, 124. 130. 273. 291.[1]) 19, 40. 120. 191. 240. 20, 62. 21, 55. 134. 164. 200. 25, 66. 69. 73. 77. 27, 55. 29, 33. 47. 31, 9. 32, 26. 39, 17. 41, 13. 15. 17. 43, 34. 44, 38. 54. 45, 37. 37.[2]) 46, 12. 55, 4. 17. 59, 110. *δῆλον ὡς* 7, 33. 23, 118. 56, 4. IV, 3. — *δῆλον γίγνεται ὅτι* 38, 14. 54, 13. *ὡς* 23, 162.
οὐκ ἄδηλόν ἐστιν ὅτι 20, 1. 30, 6. 45, 61. 55, 26. 61, 36. pr. 34, 1.

[1]) Secl. Bl. [2]) Om. S.

εὔδηλον γίγνεται ὅτι 16, 18. εὔδ. ἐστιν ὅτι 21, 186. 23, 10. 57, 25.

πρόδηλον γίγνεται ὅτι 21, 66. πρόδ. ἐστιν ὅτι 20, 63. 56, 18. (cf. σύνοιδα καὶ πρόδ. ἐ. p. 16.)

ἐναργὲς γίγνεται καὶ σαφὲς ὡς 14, 4.

ἔστιν ἐν τῇ συγγραφῇ ὅτι 35, 21.

ἔνεστι ὡς 19, 36.

λανθάνει[1]) ὅτι 1, 25. 7, 5. 20, 65. 23, 95. 60, 30. 31. 61, 7.

λόγος ἐστίν ὡς 9, 47. 16, 11. 20, 112. 23, 191. ὁ δὴ πολὺς τοῦ λόγου ... ἔσται ὡς 44, 6. λοιπὸς λόγος ἐστὶν ὡς ... καὶ ὅτι 10, 32 sq. ἥκει λόγος ὡς 19, 134. 21, 26. — Ad substantivum λόγος absolute positum enuntiata explicativa referuntur: 23, 99 (ὁ τοιοῦτος λόγος ὡς), 19, 256 (ὁ λόγος οὗτος ὡς). Cf. τὸ κατασκεύασμα τὸ τῶν αἰτιῶν ὡς 10, 60.

μαρτυρία γίγνεται ὅτι 24, 159.

παρέστηκέν μοι ὡς III, 36.

τῷ πιστόν ἐστιν ὡς ...; 30, 20. 33.

πρόφασις γίγνεται ὡς 50, 54.

σημεῖον ὑπάρχει ὡς 57, 51.

τεκμήριόν ἐστιν ὅτι 24, 147. 34, 36. 47, 77.[2]) 53, 1. 59, 58. ὡς 38, 20. 53, 2. τ. γίγνεται ὅτι 7, 11.

φανερὸν γίγνεται ὅτι 11, 1. 30, 14. 57, 64. 60, 23. III, 23. φ. ἐστιν ὅτι 27, 32. 44. 29, 44. 30, 18. 33, 16. 56, 23. 58, 39.

καταφανές ἐστιν ὅτι 17, 27.[3]) 43, 22.

§ 2. De particulis ὅτι (διότι) et ὡς.[4])

De particularum ὅτι et ὡς originibus et antiquissimo usu P. Schmitt[5]) diligentissime egit. Cuius ex commentario apparet:

---

[1]) λανθάνει (= fugit me) sicuti ἀγνοῶ, quod ei simillimum est, non nisi cum negatione iunctum invenitur. [2]) μέγα τεκμήριον ὑμῖν ἔστω: ἐρῶ ci. Seager. [3]) πῶς οὐ καταφανὲς ὅτι Andr. Spengel Bl.: κ. ποιεῖ ABY (Bk. Dd. Tu. Vo. We.): κ. ἦν ποιεῖ F. [4]) Krueger 65, 1, 4. Kuehner § 550, 1 an. 1, qui recte Madvigii (Synt. 159 an. 3) sententiam refellit. [5]) Ueber den Ursprung des Substantivsatzes mit Relativpartikeln i. Gr. = M. Schanz, Beitr. III, 1, Würzburg 1889. Cf. Goodwin, Syntax of the moods and tenses of the Greek Verb (Cambridge³ 1889) 312, 1. 663.

ὅτι olim fuisse accusativum pronominis relativi, sed iam apud Homerum plane in coniunctionis usum abiisse; *ως* autem ex illius ablativo paulatim in coniunctionem transgressum notione primitiva ex parte mutata nonnullis locis eundem quem *ὅτι* sensum occupavisse. Ceterum huius particulae *ὡς* (= „dass“) apud Homerum non nisi primitias cognosci, cum in Iliade undecies tantum, in Odyssia, quam recentioris aetatis esse constat, paulo saepius (septies decies) ita usurpata sit, *ὅτι* autem (vel *ὅ,* id quod cum illo alternat) a verbis dicendi, sentiendi sim. pendens quinquagies inveniatur.

His praemissis ad usum Demosthenicum explicandum pergamus.

In quo *ὅτι* et *ὡς* post verba dicendi, sentiendi sim. ita usurpari videmus, ut illius finibus tamquam imminutis, huius propagatis in universum certae quaedam leges valeant, secundum quas alteris locis *ὅτι,* alteris *ὡς* adhiberi soleat. *Ὅτι* enim praecipue dicitur, si ea, quae enuntiatis explicativis continentur, vel facta (dicta) esse vel fieri (dici) vel futura esse (dictum iri) simpliciter narratur; itaque reperitur, ubi res verae commemorantur (ut 18, 32 *δεῦρ᾽ ἀπαγγειλάντων ἡμῶν ὅτι μέλλει καὶ παρασκευάζεται πορεύεσθαι*), colloquia enarrantur (ut 50, 40 *λέγοντος δέ μου ταῦτα, ἀπεκρίνατό μοι ὅτι μύθους λέγοιμι*), aliqua, quibus falsa adversariorum argumenta refutentur, proferuntur (ut 19, 89 *πρὸς δὴ ταῦτ᾽ ἐκεῖν᾽ ὑμᾶς ὑπολαμβάνειν δεῖ, ὅτι καὶ τὰ Φιλίππου πράγματ᾽ ἐκ τῆς εἰρήνης γέγον᾽ εὐπορώτερα πολλῷ κτἑ.*). *Ὡς* autem praesertim usurpatur, si quae ab oratore commemorantur ex eorum, a quibus sive dicuntur sive dicta sunt, mentibus intellegenda sunt. Itaque legitur primum, ubi non nisi singulorum sententiae aut consilia communicantur (ut 1, 14 *εἰ δ᾽ ὁ μὲν ὡς ἀεί τι μεῖζον τῶν ὑπαρχόντων δεῖ πράττειν ἐγνωκὼς ἔσται, ἡμεῖς δ᾽ ὡς οὐδενὸς ἀντιληπτέον ἐρρωμένως τῶν πραγμάτων κτἑ.*); deinde, ubi quae ipsius oratoris iudicio adversa sunt pronuntiantur (ut 18, 22 *εἰς τοῦθ᾽ ἧκεν ἀναιδείας ὥστ᾽ ἐτόλμα λέγειν, ὡς ἄρ᾽ ἐγὼ πρὸς τῷ τῆς εἰρήνης αἴτιος γεγενῆσθαι, καὶ κεκωλυκὼς εἴην τὴν πόλιν μετὰ κοινοῦ συνεδρίου τῶν Ἑλλήνων ταύτην ποιήσασθαι*); qua de causa frequentissimum est, ubi enuntiationibus explicativis argumenta quaedam continentur, quae orator

ab adversariis allatum iri fingit impugnandaque sibi proponit (ut 19, 134 *τάχα τοίνυν [ἴσως] καὶ τοιοῦτος ἥξει λόγος παρὰ τούτων ὡς ἀρχὴ γενήσεται πρὸς Φίλιππον ἔχθρας, εἰ τῶν πρεσβευσάντων τὴν εἰρήνην καταψηφιεῖσθε. ἐγὼ δὲ κτέ.*); quos inter locos multi sunt, ubi particulam *ὡς* particula aliqua negativa praecedit; quo Kuehnerum inductum esse puto, ut *ὡς* „besonders nach einem verneinten Verb" praeferri doceret (e. g. 24, 120 *οὐ γὰρ δὴ ἐρεῖ γε, ὡς τοὺς τοιούτους οὐ καὶ προσήκει καὶ οἱ νόμοι κελεύουσι ταῖς μεγίσταις τιμωρίαις ἐνόχους εἶναι, οὐδ' ὡς οὗτοι ... οὐ καὶ κλέπται καὶ ἱερόσυλοί εἰσι κτέ.*); denique huc pertinent ii loci, ubi meri rumores repetuntur (ut 1, 22 *ἤκουον δ' ἔγωγέ τινων, ὡς οὐδὲ τοὺς λιμένας καὶ τὰς ἀγορὰς ἔτι δώσοιεν αὐτῷ καρποῦσθαι κτέ.*). — Sed haec in universum modo quadrant. Etenim omnium fere orationum non pauci loci sunt, quibus *ὅτι* pro *ὡς* aut *ὡς* pro *ὅτι* videtur dictum esse neque ulla eorum ratio cernitur; ut 18, 169 *ἧκε δ' ἀγγέλλων τις ... ὡς Ἐλάτεια κατείληπται,* quibuscum conferas 19, 60 *ἀπήγγελλεν ὑμῖν ὅτι πάντα τὰ πράγματ' ἐγκεχείρικε Θηβαίοις ὁ Φίλιππος.* 40, 15. 44 *ὅτι δὲ καὶ ταῦθ' ἀληθῆ λέγω ... εἴσεσθε,* sed 40, 52 *ὡς δ' ἀληθῆ καὶ ταῦτα λέγω ... εἴσεσθε.* Itaque interdum etiam ad idem verbum simul et *ὅτι* et *ὡς* significatione omnino non diversa referuntur, ut 24, 187 *ἀκούω δ' αὐτὸν λέγειν ὡς ἐκτέτεισται τὰ χρήματ' ... καὶ ὅτι δεινότατ' ἂν πάθοι, εἰ κτέ.*, al.

Probantur autem haec quae statui indice verborum supra descripto, ex quo singula verba pro significationibus suis altera cum *ὅτι,* altera cum *ὡς* aut omnino aut plerumque iungi elucet.

Raro admodum *διότι*[1]) pro *ὅτι* dictum inveni: 46, 16. 50, 57. 58, 36. 42. 43. 61, 38. Plurima eiusmodi exempla apud Isocratem leguntur[2]); neque vero eum usum iam provulgatum fuisse, sed *διότι* in sermone vulgari tum temporis plerumque vim habuisse causalem (cf. 4, 22) et ex Aristotelis illo *οἱ ἐμ-*

[1]) Cf. Maetzner ad Isae. p. 254. Schoemann, Redeteile p. 182. Kuehner 550, 1, 1. Goodwin 710, 2. [2]) „In the same sense as *ὅτι,* for which it is not unfrequently used, especially by Isocrates, when the hiatus is thereby avoil." Sa.

πειροι τὸ ὅτι ἴσασι, διότι δ' οὐκ ἴσασι[1]) et multis aliis locis cognoscitur. Particulae autem ὅπως pro ὡς usurpatae[2]) unum exemplum invenias 23, 117: εἰ δείξειαν ὅπως, ἂν ἀδικεῖν βούλωνται, μὴ δυνήσονται; sed cf. p. 7 an. 5. —

His quaedam de necessitudinibus inter plures structuras grammaticas intercedentibus adnectere libet; namque vereor, ne quis ea quae adhuc exposui diligentius examinans aliquos locos supra allatos afferendos non fuisse censeat, aut alios quosdam omissos desideret. Dico autem eos locos, ubi enuntiata a particula ὡς incipientia et pro explicativis et pro interrogativis haberi possunt; sed quis est qui quid unoquoque loco intellegendum sit, certis ex legibus discernat? qui tali in re libero suo iudicio se regi neget? Magna equidem recentiorum grammaticorum[3]) virtus est, quod omnes linguas una quasi corpora esse docent, quorum membra artissime inter se cohaerent et alia ex aliis prodeunt in aliaque transgrediuntur, ita ut ubique multae locutiones sint, quae ut certis capitibus grammaticis inserantur fieri non possit. Ex quibus praeter eam quam iam tractavi particularum ὡς = dass et ὡς = wie? eam quoque ambiguitatem commemoro, quae in particula ὅτι ibi inest, ubi dubitare licet, utrum enuntiata ab ea incipientia explicativis an

---

[1]) MAI 981a 29 Bon. Meisterhans, Gr. d. att. Inschr. p. 211, 28 διότι pro ὅτι ex Ol. 120 fere in titulis inveniri docet. [2]) Kuehner 550, 1, 1. [3]) Cf. Schmitt l. l. p. 31. 78. Curtius, Erläuterungen (Prag[3] 1875) p. 195: „Fragen wir nach dem Ursprung der Konjunktionen, so ergiebt sich häufig, dass jene spezifische Bedeutung der Konjunktionen eine Täuschung ist. Dieselbe Partikel ὡς, deren Grundbedeutung wie nicht zweifelhaft sein kann, und das davon nur unwesentlich verschiedene ὅπως, begegnet uns fast in allen Gattungen von Sätzen, rein relativ, temporal, final und in Aussagesätzen. ὅτι dass und ὅτι weil sind eins, mithin ist in der Sprache selbst ein Unterschied zwischen dem Aussagesatz und dem Kausalsatz nicht vorhanden. — Hieraus folgt, dass alle unsere Einteilungen der Sätze im Grunde mehr logischer als grammatischer Art sind, dass wir bei solcher Einteilung in die Sätze mehr hineinlegen oder hineindenken, als die Sprache angiebt." — H. Paul Principien der Sprachgeschichte (Halle[2] 1886) p. 28: „Unsere herkömmlichen gr. kategorien sind ein sehr ungenügendes mittel, die gruppierungsweise der sprachelemente zu veranschaulichen. Unser grammatisches system ist lange nicht fein genug gegliedert, um der gliederung der psychologischen gruppen adaequat sein zu können." Cf. ibid. p. 299.

causalibus potius adnumeres (cf. 59, 116), deinde eas, quae in particula ὡς, ubi notionem et causalem et temporalem videtur habere, et in multis illis vocabulis insunt, quae ex alio in alium significatum per multos medios paulatim transeunt; quos omnes in vivo Graecorum sermone nunquam adeo discretos fuisse credo, ut quisquam Graecus, etiamsi omni qua nos doctrina instructus fuisset, certis finibus eos circumscribere potuerit. Sed haec hactenus, ne diutius in iis commoremur, quae modo appendix et defensio eorum sunt, quae antea exposui. —

Iam pauca de iis *ὅτι* et *ὡς* dicam, quae a nullo verbo pendentia eundem sensum habent, quem Latinorum: „quod, quod attinet ad" et nostrorum „was das betrifft, dass, zum Beweise dass". Quae in iis praecipue formulis occurrunt, quibus orator uti solet, cum ad testimonia afferenda transit, ut: *ὅτι δ' οὕτω ταῦτ' ἔχει, λέγε μοι τὸ ψήφισμα* 18, 37; cf. 23, 159. 45, 46. — 44, 14. 58, 42; 49, 18. *καὶ ὅτι ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, κάλει τούτων τοὺς μάρτυρας* 18, 135; cf. 18, 115. 137. 19, 146. 161. 165. 170. 176. 21, 121. 174. 23, 151. 183. 25, 62. 32, 19. 35, 19. 37, 31. 40, 35. 43, 70. 45, 55. 58. 46, 8. 49, 33. 50, 10. 58, 8. 59, 32. 34. 47. 48. 61. 70. 84. — 18, 211. 36, 21. 32. 44, 30. (37, 43); pronomen *ταῦτα* deest (*ὅτι ἀληθῆ λέγω*) 20, 115.[1]) 33, 13. 34, 15. 37. 35, 22. 53, 20. 54, 29. 56, 17. 59, 24. — 50, 11. 52, 8. — *καὶ μὴν ὅτι τὸν Φίλιππον ἐν Ἑλλησπόντῳ κατελάβομεν ἄν, εἴ τις ἐπείθετό μοι . . ., κάλει τοὺς ἐκεῖ παρόντας μάρτυρας* 19, 162; cf. 19, 40. 297. 27, 7. 33, 26. 36, 48. 37, 21. 30. 43. 38, 4. 44, 30. 47, 77. 48, 47. 49. 49, 33. 50, 68. 52, 17/19. 58, 34. (32, 19. 35, 22. 43, 70. 54, 29). — *ὡς τοίνυν ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, κάλει μοι τούτων τοὺς μάρτυρας* 19, 213; cf. 21, 82. 25, 58. 27, 26. 39. 29, 8. 36, 10. 13. 16. 22. 37, 8. 13. 39, 24. 38. 40, 18. 47, 10. 24. 44. 51. 61. 67.[2]) 49, 22. 50, 13. 28. 37. 56. 54, 9. 12. 55, 12. 57, 27. 28. 43; similia sine pronomine *ταῦτα* leguntur 21, 93. 107. 119. 167. 27, 17. 28. 29, 21. 26. 53. 33, 8. 12. 15. 36, 25. 35. 38, 13. 40, 7. 47, 27. 32. 52, 7. 21. 31. 53, 21. 25. 59, 23. 40. 53. — 49, 45. 53, 18. — *ὡς δὲ τὸν υἱὸν ἔπεμψεν ὁ Φρύνων, κάλει [μοι] τούτων τοὺς μάρτυρας* 19, 233; cf. 27, 8. 30, 17. 30. 31, 4. 33, 18. 47, 25. 27. 48. 49, 43.

[1]) Sed *ταῦτ'* add. L. v. (Bk. Tu.). [2]) Sed *ταῦτα* deest in FQ.

50, 40. 53, 19. 20. 57, 20. 58, 17. 59, 123. (21, 107. 119. 27, 39. 29, 18. 26. 36, 10. 13. 22. 35. 38, 13. 50, 37. 54, 12). ὅτι et ὡς in iisdem formulis iuncta sunt: 40, 37. 44, 44. 46, 21. 47, 66.[1])

Praeterea ὅτι et ὡς eadem qua in his formulis notione imbuta in media oratione occurrunt: 9, 41 *ὅτι δ' οὕτω ταῦτ' ἔχει, τὰ μὲν νῦν ὁρᾶτε δήπου καὶ οὐδὲν [ἐμοῦ] προσδεῖσθε μάρτυρος· τὰ δ' κτέ.*, 15, 9. 11. 19, 303. 27, 7.[2]) 34, 43.[3]) II, 18—21, 167. 23, 168. 31, 4. pr. 33, 2.

Hic particularum ὅτι et ὡς usus a nonnullis viris doctis ita explanatur, ut *ἵν' εἰδῆτε* audiendum esse doceant. Cf. Franke ad Dem. 9, 41, Kuehner, Gr. § 551 an. 4, Krueger 65, 1, 6 Quorum opinioni Schoemannus (ad Isae. 1, 16) primus recte adversatus ὅτι et ὡς idem esse exposuit quod Latinorum „quod, quod attinet ad veritatem eorum quae dico". Cf. Huettner ad 36, 10 (Diss. I. Erlang. 1885), Sa. ad 20, 115 („[to prove] that, [as evidence] that"), Wb. ad 23, 151. p. 439, We. ad 15, 9 („quant à ce que"), Madvig, Synt. 192 an. („zum Beweise dass —, um zu bestätigen dass —"). Cui interpretationi satis magno argumento est, quod *ἵν' εἰδῆτε* suppletum neque in omnibus iis quas attuli formulis (cf. 21, 82 *ὡς οὖν ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, κάλει μοι τούτων τοὺς μάρτυρας, ἵν' εἰδῆθ' ὅτι ... ὑβρίσμαι.* 27, 8. 49, 18. 50, 10; 38, 4), neque in iis quos postea commemoravi locis sufficit. Sed difficilius dictu est, quomodo haec locutio orta sit. Rehd. ad Lycurg. p. 129 ex talibus locutionibus eam ortam esse putat, quales sunt: 20, 27 *ἀλλὰ μὴν ὅτι τῶν τριηραρχιῶν οὐδεὶς ἔστ' ἀτελής, οἴομαι μὲν ὑμᾶς εἰδέναι πάντας, ὅμως δὲ καὶ τὸν νόμον αὐτὸν ἀναγνώσεται*; 31, 4. 36, 32. 37, 18. 38, 4; quod verisimillimum videtur esse, sed, cum originibus huius constructionis investigandis non vacaverim, a me comprobari non potest.

Ceterum saepius dubium est, utrum ὅτι vel ὡς ad verba dicendi vel sentienti referendum an absolute dictum sit; ut 21, 184 *ὅτι δὴ ταύτης οὐδ' ὁτιοῦν ὑμῖν μεταδοῦναι τούτῳ προσήκει, ταῦτ' ἀκούσατέ μου.* 43, 32 *ὅτι μὲν ἐνίκησε Φυλο-*

---

[1]) Enumerationem earum particularum addo, a quibus huiusmodi formulae incipiunt: *δέ, γάρ, καί, καὶ μήν, ἀλλὰ μήν, τοίνυν, οὖν.*
[2]) Cf. p. 11 an. 1. [3]) Cf. p. 6 an. 3.

μάχη ..., *ἀκηκόατε ὦ ἄνδρες δικασταί*; 19, 65. 24, 109. 155. 37, 9. 19. 38, 14 al.

Denique Demosthenem pro *ὅτι* vel *ὡς* paucis locis particula *ὅτε* uti, quasi *τοὺς χρόνους* vel simile quid praecederet, obiter commemoro: 3, 4 *μέμνησθ'* ... *ὅτ' ἀπηγγέλθη Φίλιππος* ... *πολιορκῶν*. Cf. 18, 291 *μάλιστ' ἐθαύμασα πάντων, ὅτε τῶν συμβεβηκότων τότε τῇ πόλει μνησθείς, οὐχ ὡς ἂν εὔνους καὶ δίκαιος πολίτης ἔσχε τὴν γνώμην κτἑ.*; 34, 46 (*ἀναφέρω*) *εἴς τε τὸν Λάμπιν αὐτὸν καὶ τοὺς ἀκούσαντας αὐτοῦ ὅτε οὐκ ἔφη ἀπειληφέναι τὸ χρύσιον*[1]); 43, 64 *παράπαν οὐδ' ᾔσθετο, ὅτε ἦν τετελευτηκὼς Ἁγνίας*; sed his locis *ὅτε* etiam ad tempora verbis praecedentibus indicata referri potest. Alia exempla Kuehner § 551, 7 congessit.

§ 3. De enuntiationum a particulis *ὅτι* (*διότι*) et *ὡς* incipientium temporibus et modis.

Enuntiationes a particulis *ὅτι* et *ὡς* profectae in universum ita inter se differunt, ut in alteris oratio recta plane integra repetatur (I.), in alteris, si non temporibus et modis attamen personis quae quidem poterant mutatis, verba vel cogitata sive alius cuiusdam hominis sive oratoris ipsius per orationem obliquam quam dicunt referantur (II.). Utrique autem generi eas attribuere licet, in quibus personas orationis rectae in oratione obliqua immutatas retineri necesse erat neque ex aliis quibuslibet indiciis iudicari potest, utri generi adnumerandae sint; ut 47, 33 *προσῄειν πρός τε τοὺς ἀποστολέας* ... *λέγων ὅτι οὐκ ἀποδίδωσί μοι τὰ σκεύη ὁ Θεόφημος, ἃ ὦφλεν ἐν τῷ δικαστηρίῳ*. Quas omnes, etsi per nonnullas oratorem ipsum orationem rectam intellegi voluisse credo, cum quaenam hae sint suspicari non liceat neque omnes esse certum videatur, alteri generi addam. Huius deinde variae species sunt: aut enim et tempora et modi orationis rectae servata (IIa.)[2]), aut tempora

---

[1]) *τοὺς ἀκούσαντας ὅτε* Sjoestrand l. c. p. 33. Bl. Libris *ὅτι* exhibetur; sed coniectura eo probatur, quod *ἀκούω ὅτι* pro *ἀκούειν* c. genit. part. coniuncto insolentissimum est; uno loco 58, 32 *ἀκούετε τοῦ νόμου* ... *ὅτι διαρρήδην λέγει* librorum *ὅτι* confirmari non potest. [2]) Haec structura una apud Homerum legitur; cf. Schmitt l. l. p. 69 sq. Optativi

tantum mutata (IIb.), aut temporibus retentis pro orationis rectae indicativis optativi substituti sunt; quibus eae enuntiationes accedunt, in quibus et tempora et modi ita permutata videntur, ut optativi praesentis et perfecti indicativis imperfecti et plusquamperfecti orationis rectae respondeant (IIc.). —

I. Orationis rectae forma praecedente particula *ὅτι* his locis reperitur: 7, 20 *οὐκ ἐτόλμησαν ... εἰπεῖν ὅτι ʻκαταψεύδεσθε ἡμῶν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ φατὲ ἡμᾶς εἰρηκέναι ἃ οὐκ εἰρήκαμεν'*. 8, 31. 18, 40. 174. 19, 22. 40. 168. 242. 253. 21, 48 sq. 200. 23, 106. 49, 63. 50, 49. 53, 12. 59, 100; praefixa particula *ὡς*: 19, 235 *ταῦτα δὴ παρέξεται νῦν οὗτος λέγων ὡς ʻαὐτὸς ἐπῄνεσεν ἡμᾶς, αὐτὸς εἱστία τοὺς πρέσβεις'*; 21, 151. Similes ii loci sunt, ubi orator ex oratione obliqua subito in orationem rectam transit: 50, 36 *ἀπεκρινάμην αὐτῷ ὅτι σκεύη μὲν διὰ τοῦτο οὐ λάβοιμι ἐκ τοῦ νεωρίου, ʻὅτι σὺ ἀδόκιμα ἐποίησας αὐτά ...'*; 19, 194.[1]) 320. 23, 110. 191. 38, 27. 47, 57. 50, 57. Cf. 19, 324, ubi verba Philippi *μιμητικῶς*, ut cum Wolfio dicam, referuntur. — Hoc in numero ii loci desunt, ubi oratio obliqua aut aliam quandam constructionem excipit (ut 22, 35) aut verbo *ἔφην* interposito ab oratione recta distincta est.

Hic, quem descripsi, modus verba alicuius hominis referendi, quoniam est simplicissimus, nonnullis viris doctis antiquissimus esse visus est; sed repugnat primum quod nullum exemplum ante scriptorum Atticorum pedestrium aetatem occurrit[2]), deinde quod personas orationis rectae ab eo, qui eam referebat, mutatas esse priusquam *ὅτι* orationi obliquae praefigebatur, ex omnibus, quae de linguae historia certe scimus, facile colligitur.[3]) Immo ex iis demum enuntiationibus explicativis, quae medium tamquam locum inter orationem rectam et obliquam obtinent,

---

orationis obliquae antiquissima exempla Hymn. in Cerer. 214 et quattuor Aeschyli locis inveniuntur.

[1]) SL *ἔφη* post *αὗται τοίνυν* inserunt. [2]) Primum exemplum apud Herodot. II, 115 est. Cf. Spieker, American Journal of Philology V p. 211—27 [Philolog. Wochenschrift 1883]. Apud Antiphontem, Isaeum, Lycurgum nullum exemplum invenitur; cf. H. Goelkel, Prgr. Passau 1883. [3]) Cf. Schmitt l. l. p. 79 sqq. — Schmalfeld, Syntax d. gr. Verb. (Eisleben 1846) § 168.

hanc locutionem profectam esse puto; quid enim facilius fieri potuit, quam ut is, qui per illas si non omnes at certe multas orationem rectam intellegere consueverat, ab iis ad hunc de quo agimus usum dicendi progrederetur? praesertim cum summam illam dicendi vivacitatem atque simplicitatem eo assequeretur, quam quanto studio Graeci appetivissent optime Ioh. Classen[1]) exposuit. Quam interpretationem qui accipiet, particulis ὅτι et ὡς etiam hic primitivam earum notionem neque cum Kruegero[2]) aliisque vim vel potius inanitatem earum virgularum attribuet, quibus nos orationem rectam in libris solemus ornare, quo facilius legentes a reliqua narratione eam separent. Etenim quis est, qui voculam quantulamcunque coram auditoribus dictam sicuti notam legentium gratia scriptam omni fere sensu carere sibi persuadeat?

II. Orationis deinde obliquae tres formas supra distinximus; sed antequam singularum exempla afferamus, breviter nobis disputandum est, quaenam tempora principalia, quaenam praeterita ducenda sint.[3])

Tempora igitur praeterita s. historica, ut quo facilius dissertatio procedat ab iis initium faciamus, haec sunt:

1) indicativi impf., plusqpf., aor.[4]), praes. hist.

2) indicativi et infinitivi in iis periodis hypotheticis usurpati, quibus si quid fuisset aliud quoddam futurum fuisse praedicatur; in quibus plurimis aoristus (ut 21, 103), non multis imperfectum (pro quo, si constructione poscitur, inf. praes. substituitur) adhibetur, ut 16, 12. 48, 46 al.

---

[1]) Beobachtungen über den homerischen Sprachgebrauch, Frankfurt a. M. 1867 (in appendice). [2]) 65, 1, 2. [3]) Cf. praeter maiores artes grammaticas: R. Kohlmann, De verbi Graeci temporibus = Diss. Halenses I, 1873; S. I. Cavallin, De Xenophonteo temporum et modorum usu = Acta Univ. Lund. 1879/80; N. Sjoestrand, De oratorum Atticorum in or. obl. temporum et modorum usu, ibid. 1889/90. [4]) Dubitare licet, an aoristus gnomicus temporibus principalibus potius adnumerandus sit, quoniam ubique eodem modo atque haec usurpatur. Cuius aoristi unum eiusmodi exemplum, a quo enuntiatum explicativum pendeat, 35, 1 invenitur. Cf. E. Moller, Philolog. VIII, 1853 p. 113—129; Francke, Ueber d. gnom. Aor. d. Gr. = Ber. d. sächs. G. d. W. Phil.-hist. Kl. VI, 1854, p. 63—96.

3) inf. aor. cum articulo coniunctus 8, 56[1]); ad particulam ὥστε relatus 23, 212, ad ἐπειδή 19, 306; a verbis dicendi vel sentiendi pendens 19, 193 al.

4) part. aor. ita usurpatum, ut si in verbum finitum quod vocant mutaretur, ind. aor. ponendus esset, ut 5, 10. 34, 47.

5) part. praes. hist. 19, 209. 6, 30.[2])

Has formas, cum per se tempora praeterita significent, tempora praeterita absoluta appellare consuevimus. Eadem autem vis in iis quoque verborum formis inest, quae, quamquam nulla praeteriti notione infectae sunt, tamen ex iis ad quae relatae sunt temporibus praeteritis et ipsae hanc significationem accipiunt; quae tempora praeterita relativa vocare licet. Sunt autem:

1) coniunctivi in enuntiatis finalibus usurpati 7, 21 (praes.); 10, 10. 19, 26. 53, 30 (aor.).

2) optativi in oratione obliqua aut in enuntiationibus finalibus adhibiti, ut 34, 49 (perf.); 49, 16.[3]) 50, 54 al. (Similes optativos de rebus iteratis positos, ad quos enuntiata explicativa relata sint, apud Demosthenem non inveni.)

3) inf. praes. in oratione obliqua (ut 9, 12. 19, 283 al.) aut alio quoquo modo ad tempora praeterita relati. Excipiendi tantum ii sunt, qui, quamquam a temporibus praeteritis pendent, tamen non nisi ad oratoris tempus praesens referri possunt, ut 23, 25: *δεῖν δ' ὑπελάμβανεν* (scil. *ὁ θεὶς τὸν νόμον*), *ἐπειδήπερ ἡμεῖς τιμωρήσομεν τῷ πεπονθότι, πεισθῆναι καὶ μαθεῖν ἡμᾶς διδασκομένους ὡς δέδρακε· κτέ.*

Saepissime autem infinitivi praes., fut., aor. ita ab aliis verbis ut a *δύναμαι, οὐχ οἷός τ' εἰμί, βούλομαι, μέλλω* sim. pendent, ut cum iis in singula quasi vocabula coaluerint; quarum locutionum exempla non in infinitivis temporum praeteritorum vi imbutis, sed in iis temporibus, quae in verbis finitis leguntur, enumerabimus, ut *ἐτόλμα λέγειν* (*εἰπεῖν*), *ἐμέλλομεν γνώσεσθαι* sim. in imperfectis, *ἦλθε ἐπὶ τὸ ἀμφισβητεῖν, ἐτόλμησεν ψεύσασθαι* sim. in aoristis.

4) inf. aor. c. particula *ἄν* coniuncti et modum potentialem significantes, ut 40, 10.

---

[1]) 24, 76 et III, 7 hic numerare nolim. Cf. Madvig, Synt. 172 b an. 1.
[2]) Cf. Madvig, Synt. 183 a. 1. [3]) Sed *πύθωνται* A.

5) participia praes., fut., perf., aor. temporibus praeteritis coniuncta.

Omnes aliae verborum formae, sive absolute ponuntur sive ex temporibus principalibus pendent, tempora principalia putandae sunt; quas singulas enumerare hic supersedebo.

Sed ad rem propositam disputatio redeat.

a) Tempora modique orationis rectae in oratione obliqua immutata retinentur:

1) post omnia fere tempora principalia. Cuius usus, cum latissime pateat et apud omnes bonae aetatis scriptores[1]) idem sit, numerum exemplorum in universum indicare satis superque videtur esse; unde perspiciatur, quam singularia sint pauca adversariae elocutionis exempla infra enumerata et tractata.

Hanc igitur constructionem inveni:

α) post tempus praesens[2]): 570^{ies} fere;[3])

β) p. futurum 163^{ies}; fut. exact. 1, 14. 20, 37;

γ) p. perfectum 103^{ies};

δ) p. aoristi

coniunctivum 22^{ies},

optativum ad *εἰ* relatum 15^{ies}, cum *ἂν* copulatum 30^{ies},

imperativum 26^{ies},

---

[1]) Apud recentiores optativi usum magis propagatum esse ex Madvigii Adv. crit. I 704, Synt. 130, 1 cognovi. Multa exempla ex Atticistarum qui vocantur scriptis W. Schmid, Der Atticismus in seinen Hauptvertretern, I—III, Stuttg. 1887—93, congessit. [2]) Infinitivi praesentis cum aliis verbis artissime copulati, ut *βούλομαι* (*μέλλω, παρεσκεύασμαι*) *λέγειν, οὐχ ἕξω λέγειν, πειράσομαι διδάσκειν, οὐκ ἂν τολμήσειεν λέγειν* sim., in praesentibus omissi sunt et pro totarum locutionum significationibus in futuris aut optativis potentialibus numerabuntur. — Infinitivos contra aoristi cum iisdem similibusque verbis coniunctos, quamquam ab illis vix differunt, tamen separatim numerare praetuli. [3]) In plerisque his numeris aliquid incerti inesse tribus de causis necesse est: et quia multis locis genuina scriptoris verba ex compluribus librorum scripturis enucleari vix possunt, et quod aliquot loci propter plura tempora copulata (ut 36, 28) bis numerandi sunt, et quia interdum eaedem verborum formae plures significationes complectuntur, ut *δείξω* et *ἐπιδείξω* et ind. fut. et coniunct. aor. Talia autem omnia singula tractare longum est.

infinitivum a particula ὥστε pendentem 29, 32. 30, 14; cum articulo iunctum 2, 5. 24, 76. III, 7; per particulam ἄν modi potentialis vi praeditum 10ies; subiecti loco ad δεῖ, χρή, προσήκει, ἔστιν, ἔνεστιν, οὐκ ἐνδέχεται, ἄξιον (δίκαιον, ῥᾴδιον, χαλεπόν) ἐστιν sim. relatum 57ies; a temporibus principalibus verborum δύναμαι, βούλομαι, ἔχω, τολμῶ, ἐῶ, κελεύω sim. pendentem 72ies;

participium in idem temporis spatium atque verbum finitum incidens et ad tempus praesens vel futurum spectans 19ies;

ε) post imperfectum ad particulam εἰ relatum ter, cum particula ἄν iunctum ter.

Hac in computatione omnes eos locos omisi, ubi aut (εὖ) οἶδ' ὅτι, δῆλον ὅτι (ὡς) pro adverbiis usurpantur aut ὅτι (ὡς) ad Latinorum „quod" respondet, quoniam hic enuntiationes explicativae a verbis dicendi, sentienti, sim. pendentes non leguntur.

2) Deinde tempora et modi orationis rectae etiamsi tempora historica praecedunt saepissime inveniuntur. De quibus N. Sjoestrand (de oratorum Atticorum in oratione obliqua temporum et modorum usu Commentatio acad. Lund. 1889) copiose iam egit; attamen omnia exempla iterum collegi atque enumerabo, primum ut ea, quae de indicativi et optativi orationis obliquae differentia dicturus sum, examinandi facultatem faciam; deinde ut commode cognoscatur, quibus in orationibus indicativus, quibus optativus praeferatur. Eas autem discrepantias, quae inter Sjoestrandii et meam dissertationem intercedunt, notare supersedi, cum quorum forte intersit facile ex illa comparata cognituri sint. Tabularum denique forma usus sum, ut singularum locutionum frequentias uno tamquam oculorum obtutu comprehendere liceat.

Prima igitur tabula conspectus eorum locorum continetur, ubi tempora et modi orationis rectae immutata leguntur.

Tab

	post: Ind. impf.	Ind. impf. in periodo hyp. irr.	Ind. plusq.-pf.	Ind. aor.	Ind. aor. c. ἄν coni. in periodo hyp. irr.	Coni. aor.	Op-tat. aor.
Retinetur: Ind. praes.	19, 151. 283 320. 321. 321 21, 104[1]). 110 22, 30. 23, 26 24, 36. 25, 13 30, 26. 39, 32 56, 5 (cf. 22, 59)	45, 13. 47, 16. 17 48, 46.	—	3, 35. 4, 5. 8, 74 9, 11. 10, 58. 18, 99. 19, 45. 135 244. 20, 166. 23, 173. 31, 6 [35, 1][4]). 35, 54. 40, 9. 42, 5. 47, 65 48, 5[5]). 6. 53, 23 59, 5. 100	23, 219	—	49, 1[illegible]
Ind. fut.	24, 15. 29, 9 30, 23. 32, 21. 22. 39, 1. 45, 79 47, 10. 78. 48, 40. 57, 16 (cf. 19, 320. 321 25, 13)	16, 12	—	10, 9. 19, 239. 24, 156. 36, 42 (cf. 6, 8. 18, 99. 48, 6)	—	10, 10	—
Ind. fut. exact.	—	—	—	—	—	—	—
Ind. perf.	19, 60. 21, 151 198. 22, 59[2]). 29, 12. 47, 30 60, 30[3])	—	—	19, 125. 34, 14 17. 37, 19. 23 40, 58. (cf. 23, 173).	—	19, 26	—
Ind. imperf.	50, 57	—	—	28, 1. 47, 78. 57. 64 (cf. 19, 244)	—	—	—
Ind. aor.	18, 291. 27, 57 =29, 49. 29, 44. 39, 22. 48, 45. 60, 31 (cf. 50, 57)	18, 206 57, 34	60, 28	19, 54. 22, 76= 24, 184. 23, 66 24, 12. 108. 27, 49 51. 53. 28, 1. 1 30, 31. 37. 32, 4 37, 21. 24. 45, 5 46, 2. 48, 16[6]) (cf. 19, 135. 50, 57[7])	—	52, 30	—
Opt. praes. c. ἄν coni.	22, 25	—	—	34, 9	—	—	—
Opt. aor. c. ἄν coni.	(cf. 21, 151)	—	—	6, 8. 23, 156. 24. 156[8])	—	—	—
Ind. impf. c. ἄν coni.	—	—	—	—	—	—	—
Ind. aor. c. ἄν coni.	—	—	—	19, 74	—	—	—
μή c. coni. aor.	—	—	—	—	—	—	—

ula I.

Inf. aor.	Inf. aor. c. ἄν c.	Part. aor.	Ind. praes. hist.	Inf. praes.	Inf. praes. c. ἄν c.	Part. praes.	Part. fut.	Optat. perf.	Part. perf.
8, 56 15, 6 19,193. 306[10]) 23, 117 24, 212 213	—	5,10. 8, 4. 15,16. 18, 35. 19,45 77. 302. 31, 4. 36, 43 47, 5. 50,9 17. 61,18	32, 5 43, 65 59, 30	3, 35 9, 12 46, 2	53, 2	6,30. 8,73. 12, 16. 18,87. 132 19,44. 20, 73 96. 22,48=24, 161. 23,74. 25, 76. 34,13. 47, 33. 50,5. 56,13 59,76. 60, 30 (cf. 47, 79)	59, 100	—	23, 165 175 (cf. 18, 132)
23, 221 24, 140	—	19,61. 102 194. 333 23,156.162 169. 29,58 45,5. 59,53 68 (cf. 18, 35)	19, 49 50, 51	19, 283 306. 23, 117	—	19,24. 209. 23, 38. 157. 24,77 32, 15. 33, 14 36, 8. 47, 31 56, 18. 58, 27 58 (cf. 6, 30).	—	—	23, 158
—	—	—	—	—	—	58, 31. 59, 86	—	—	—
24, 210 (cf. 19, 193)	21, 103[11]) —40,10	22, 2=24, 7[12]) 34,47	(cf. 35, 30)	19, 21 56, 11	(cf. 18, 241)	18,169. 19,245 23, 100. 160 25, 60. 30, 36 46, 1. 47, 49	—	34, 49	19, 127
19, 194	—	—	—	—	—	7,21 (cf. 29,7)	—	—	47, 16
	—	23,162. 59, 5. 10. 62	—	—	18, 241	28, 14. 29, 7 48, 37[13])	—	—	—
—	—	(cf. 50, 9)	35, 30 (cf. 59, 30)	—	—	—	—	—	—
—	—	56, 5. 59, 102	—	—	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	40, 40	—	—	—
—	—	—	—	37, 1	—	—	—	—	—
—	—	—	—	—	—	23, 179	—	—	—

Tabula II.

Invenitur:	post ind. imperf.	post ind. aor.	post. optat. aor.	post part. aor.	post praes. part.
Ind. imperf. pro ind. praes. orationis rectae	7,25. 19,305 23,164. 187 30,6. 27. 28. 35. pr. 50,3	35,25. 43,5. 29[1]). 69 57,61	50,54	43,32. 44,36	40,40. 48,6. 49,31
ἔμελλον c. inf. fut. pro ind. fut. orationis rectae	45,61. 46,1 50,44	—	—	—	—
Ind. plusqpf. pro ind. perf. orationis rectae	(cf. 30,28)	(cf. 47,41[2])	—	9,62. 44,54	—

Tabula III.

Invenitur:	post ind. imperf.	post ind. plusq.-pf.	post ind. aor.	post part. aor.	post ind. praes. hist.	post inf. praes.	post part. praes.
Opt. praes. ad ind. praes. orationis rectae respondens	19,16. 21,134. 35,29 50,26=27 53,10 (cf. 1,22)	—	33,17. 43,3. 47,61 48,6. 50,31 40. 53,8 57,19	33,10. 47,67. 49,55 50,48. 55 52,2. 8. 59,9.[8]) 56 (cf. 47,35)	50,37. 47.50 (cf. 48,6)	—	47,36 50,37. 47. 52,3. 56,9 59,57 (cf. 52,19)
Opt. fut.	1,22. 23,10 47,73[4])	—	50,56 (cf. 53,8[5])	59,38. (cf. 52,8)	—	24,158	36,6 52,22
Opt. perf.	18,22. 33,18. 58,30[6]) (cf. 34,11)	47,38	34,49. 42,6 48,19. (cf. 35,36)	47,35	—	—	47,57 52,19 53,6. 7
Opt. aor.	7,2. 34,11 43,39[7])	—	35,36. 50,36. 52,15	59,9	—	—	—
Opt. praes. imperfecti locum obtinens.	—	—	30,20. 47,6. (cf. 35,36. 52,15)	47,46	48,6	—	—

[1]) *ἦν* libri praeter A; *εἴην* A et Bl coll. § 39 *γένοιτο.* Attamen indicativum paragraphis 5 et 32 satis defendi puto. [2]) *τάς τε πληγὰς ἔδειξα καὶ ἃ πεπονθὼς ἦν εἶπον καὶ ὅτι εἰσπράττων τῇ πόλει τὰ σκεύη.* — [43, 64 cf. p. 24]. [3]) Cf. de hoc loco fortasse corrupto p. 12 an. 1. [4]) *αἱρήσοιμι* ci Reiske Bl: *αἱρήσομαι* libri (Bk. Dd Tu Vo): *αἱρήσω* ci. Sjoestrand p. 46. [5]) *βοηθήσοιμι* Schaefer al., *βοηθήσαιμι* libri (Bk. Vo). — *ἀφιείην* Bl: *ἀφίην* SBQ. *ἀφείην* A (Dd. Sjoestrand p. 36). [6]) *ἐπιβεβουλευμένος εἴη* v. (Bl Dd): *ἐπιβουλευόμενος εἴη* SFQ (Bk Tu V Sjoestrand p. 29). [7]) *γένοιτο* om. S (Tu).

[Commentarius criticus ad tab. I.

1) *ὡς ἐγὼ τὸ πρᾶγμ' εἰμὶ τοῦθ' ὁ δεδρακώς*. *ὁ* ante *δεδρακώς* add. Bl., *εἴην* pro *εἰμί* ci. Cobet NL. p. 335.

2) *εἵλκυκε* F. (Bl. We.): *εἵλκυσε* v. (Bk. Dd. Fu. Tu. Vo. Sjoestrand p. 16).

3) Hic etiam 29, 46 numeranda esset, si *οὐκ εἶχε ἐπιδεῖξαι ταῦθ' ὡς ἀποδέδωκεν* recte essent tradita; sed *ἔχει*, quod Schaefer Bl. scripserunt, praeferendum videtur.

4) *εὐθὺς ἐπελάθοντο* ... *ὅτι δεῖ*, aor. gnomicus.

5) *οὐχ οἷός τ' ἐστίν* S[1] (Bl.): *ἔσται* v. (Bk. Dd. Tu. Vo. Sjoestrand p. 46).

6) *ὑφείλετο* SFQ (Bk. Tu. Vo.): *ὑφέλοιτο* (Bl. Dd.).

7) *ἠθέλησε* A (Bl.): *ἤθελε*.

8) *ἂν* ... *προσεῖσθε* F. (Madvig adv. crit. I p. 461. Bl.): *ἂν* ... *προσίεσθε* S. (Bk. Tu. Vo.): *δὴ* ... *προσίεσθε* (Dd.).

9) *πύθοιντο*: *πύθωνται* A.

10) *ἀπέρχεται* secl. Bl.

11) O. Iahn, Philol. XXVI, 2, *γέγραπται* coniectura probabili delevit.

12) Pro *αἰτιασάμενος* We. *αἰτιασόμενος* scripsit.

13) Commemoro etiam 12, 13, ubi Bk. Dd. Tu. Vo. cum Feliciano *εἰδότες ὅτι* ... *ἀφειλόμην* scripserunt, id quod Sjoestrand accepit: *ἀκριβῶς εἴδετε. καίτοι* Bl., *εἰδότες καίτοι* We.]

b) Altera deinde in tabula ii loci, ubi indicativi praesentis, futuri, perfecti orationis rectae in indicativos imperfecti, futuri praeteriti, plusquamperfecti orationis obliquae mutati sunt, descripti leguntur.

Adde hos locos, ubi eadem structura cum ea, cuius exempla in priore tabula attulimus, consociata occurrit: 19, 126 *ᾤχετο πρεσβεύων* ... *οὔτε τὴν ἀρρωστίαν, ἐφ' ᾗ τότ' ἐξωμόσαθ', ὑπολογισάμενος, οὔθ' ὅτι πρεσβευτὴς ἄλλος ᾕρητ'(ο) ἀνθ' αὐτοῦ, οὔθ' ὅτι τῶν τοιούτων ὁ νόμος θάνατον τὴν ζημίαν εἶναι κελεύει, οὔθ' ὅτι πάνδεινόν ἐστιν κτἑ*. (sed cf. p. 37); 160 *οὐκ ἐβούλετο* ... *τοῦτο δειχθῆναι πᾶσιν, ὅτι οὐκ ἄρ' ἡ πόλις ἡ τῶν Ἀθηναίων ἥττητο τῷ πολέμῳ, ἀλλὰ Φίλιππός ἐστιν ὁ τῆς εἰρήνης ἐπιθυμῶν κτἑ*.; 249 *διεκώλυσεν, οὐκ ἀναμνησθεὶς ὅτι ἥδ' ἐστὶν ἡ σῴζουσα καὶ ταύτης ἔπι τελοῦσα μὲν ἡ μήτηρ αὐτοῦ* ... *ἐξέθρεψε τοσούτους τουτουσί, δι-*

δάσκων δ' ὁ πατὴρ [γράμματα ... ἐν ταύτῃ γ' ἔζη, ὑπογραμματεύοντες δ' οὗτοι ... ἀργύριον εἰλήφεσαν, καὶ τὸ τελευταῖον [ὑφ' ὑμῶν] γραμματεῖς χειροτονηθέντες δύ' ἔτη διετράφησαν ἐν τῇ θόλῳ, πρεσβεύων δ' ἀπέσταλτο νῦν αὐτὸς ἐκ ταύτης. 28, 2 παρεσχόμεθ' ἂν μάρτυρας, ὡς ἐξετείσθη τὰ χρήματα καὶ πάντ' αὐτῷ διελέλυτο τὰ πρὸς τὴν πόλιν. 44, 34 παρακαταβάλλει (praes. hist.) ὡς υἱὸς Ἀρχιάδου ἐκείνου, οὐκ ἐπιλογισάμενος, οὔθ' ὅτι ἐπανεληλύθει εἰς τοὺς Ἐλευσινίους, οὔθ' ὅτι οἱ εἰσποιητοὶ ὑπὸ τῶν εἰσποιουμένων καθίσταντai (sed cf. p. 37). Lectio dubia est 53, 5 ἐπιστέλλω (praes. hist.) δὴ αὐτῷ ὅτι αὐτὸς μὲν ἀνῆγμαι καὶ οὐχ οἷός τ' ἦν οἴκαδε ἀφικέσθαι: ἦν exhibent SAQ¹ (Tu. Vo.), εἴην cum aliis libris Bk. Bl. Dd. SaP. Sjoestrand p. 31 scripserunt; Madvig, Bem. (Philol. II, 1847 Suppl.) p. 17, cum S consentire videtur. Ego optativum Apollodoro usitatissimum malim.

c) Tertia denique in tabula ii loci, ubi post tempora praeterita **optativi in indicativorum locos successerunt**, congesti et ordine dispositi inveniuntur.

Ad quos primum ii loci accedunt, quibus optativi tempora principalia sequuntur; quos, cum vulgari dicendi consuetudini adversi sint, totos describemus. 16, 5 οὐ γὰρ ἐκεῖνό γ' ἂν εἴποιμεν, ὡς ἀνταλλάξασθαι βουλοίμεθ' κτἑ.[1]) 47, 13 μεμαρτυρήκασιν ... ὡς ἐγὼ οὐκ ἐθέλοιμι ἀναβαλέσθαι, ὁ δὲ Θεόφημος κελεύοι, ἵνα μοι παραδοίη τὴν ἄνθρωπον. 52, 22 καὶ αὐτό γε τοῦτο μόνον οὐ τετολμήκασιν οἱ οἰκεῖοι ⟨οἱ⟩ τούτου μαρτυρῆσαι, ὡς κατήγετο παρὰ τούτῳ ἐκεῖνος, εὖ εἰδότες, ὅτι διὰ βασάνου ἐκ τῶν οἰκετῶν ὁ ἔλεγχος ἤδη ἔσοιτο, εἴ τι τοιοῦτο ψεύσοιντο. 56, 21 τούτου τεκμήριον λέγει, ὡς ἄρ' ἐκ τῆς Ῥόδου μισθώσαιτο πλοῖα καὶ δεῦρ' ἀπο-

---

[1]) βουλοίμεθα omnes libri exhibent; receperunt Fo. Tu. We. Bl., qui tamen cum Madvigio (Bem. p. 21) βουλόμεθα mavult, Kuehner, Gr. § 551, 2, quamquam § 399, 6ᵇ an. 6 ἂν inserendum esse putat; ἂν add. Reiske Bk. Dd. Aken (Tempus u. Modus § 106), Klemens (Einige Bemerkungen über d. Modus in Objektssätzen, Progr., Berlin 1865, p. 6); Goodwin l. l. 185 rem in medio relinquit, Vo. ut lectioni dubiae asteriscum apposuit. Ego, quamquam particulam ἂν maxime post optativum saepe prave omissam esse constat (cf. Madvig, adv. crit. I, 41), tamen βουλοίμεθα sine ἂν retinere malim, cum per attractionem quandam (ἂν εἴποιμεν) satis explicetur.

στείλειε τῶν χρημάτων ἔνια. 59, 5 ἀλλὰ καὶ νῦν ἔτι, ἄν που λόγος γένηται, παρὰ πάντων ὁμολογεῖται, ὡς τὰ βέλτιστα εἰπὼν ἄδικα πάθοι. Eandem scripturam libri exhibent 52, 29 (πεισθήσεσθε ὑμεῖς ὡς ἐπιορκήσειεν ὁ Ἀρχεβιάδης), quam unos Turicenses servasse video; Reiske Bk. Bl. Dd. ἂν post ἐπιορκήσειεν inseruerunt, Vo. locum corruptum esse sibi videri asterisco ascripto indicavit. Aperte denique corrupta sunt, quae 24, 123 plerique libri habent: ἐάν τις . . . τὶ ποιῇ ὧν οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν, οὐ λύετε, καὶ ταῦτ' εἰδότες ὅτι διὰ πενίαν ποιήσειεν ὁ τούτων τι ποιῶν; post πενίαν omnes praeter Vo. cum Bk. ἂν indiderunt; FY(S?) ποιήσει exhibent.

Praeterea in tabula tertia ii loci praetermissi sunt, ubi modi orationis rectae et optativi obliqui iuncti leguntur; quos iam afferam: 27, 49 ἐτόλμα . . . λέγειν, ὡς . . . χρέα τε πάμπολλ' ἐκτέτεικεν ὑπὲρ ἐμοῦ Δημοφῶντι καὶ Θηριππίδῃ τοῖς συνεπιτρόποις, καὶ ὡς πολλὰ τῶν ἐμῶν λάβοιεν. pr. 34, 1 οὐκ ἄδηλον ἦν . . . πρώην . . ., ὅτι συμβήσεται τοῦθ' ὃ νῦν γίγνεται, (scil.) ὅτι οἱ τότε κωλυθέντες ἐροῖεν εἰς ἑτέραν ἐκκλησίαν. — 47, 68 διηγησάμην αὐτοῖς ἅπαντα τὰ γενόμενα, τήν τε ἄφιξιν τὴν τούτων, καὶ τὴν εὔνοιαν τῆς ἀνθρώπου, καὶ ὡς εἶχον αὐτὴν ἐν τῇ οἰκίᾳ, καὶ ὡς διὰ τὸ κυμβίον, οὐκ ἀφιεῖσα, τελευτήσειεν. 48, 44 κατεχρήσατο πρὸς τοὺς δικαστάς, ὅτι ἐγὼ τὴν οἰκίαν, ἣν ἔλαβον ἐν τῇ μερίδι τῇ ἐμαυτοῦ, μεμισθωμένος εἴην παρ' αὐτοῦ, καὶ τὸ ἀργύριον ὃ ἔλαβον . . . ὅτι ἐδανεισάμην παρὰ τούτου. 50, 37 ἐν μὲν τῇ ἀγορᾷ ἀπεκρίνατό μοι τὸ πρότερον ὅτι οὐδὲν αὐτῷ μέλοι ὧν λέγοιμι, ἐν δὲ τῇ οἰκίᾳ . . ., ὅτι μόνος οὐ παραλήψεται τὴν ναῦν. — 34, 17 ἐμοῦ διαρρήδην γράψαντος εἰς τὸ ἔγκλημα . . . ὅτι οὔτε τὰ χρήματ' ἔνθοιτο εἰς τὴν ναῦν οὔτ' ἀπέδωκε τὸ χρυσίον. — Dubia sunt 24, 213 λέγεται . . . εἰπεῖν ὅτι αὐτὸς ἡγεῖται ἀργύριον μὲν νόμισμα εἶναι τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων εἵνεκα τοῖς ἰδιώταις εὑρημένον, τοὺς δὲ νόμους ἡγοῖτο νόμισμα τῆς πόλεως εἶναι: ἡγοῖτο libri (Bk. Tu. Sjoestrand p. 11), ἡγεῖτο S; Cobet We. Bl. secluserunt. — 32, 8 ἔπραττε λέγων ὡς αὐτός τε καὶ τὰ χρήματ' ἐκεῖθέν ἐστι, καὶ ὁ ναύκληρος εἴη καὶ οἱ δεδανεικότες Μασσαλιῶται. — Incerta sunt 47, 49 sq. ἐδεήθην . . . λέγων τὰς ἀληθείας, ὅτι πεπορισμένου του ..γυρίου ὃ ἔμελλον αὐτῷ

ἐκτίνειν συμβέβηκέ μοι τριηραρχία, καὶ ἀποστέλλειν διὰ τάχους δεῖ τὴν τριήρη, καὶ ὁ στρατηγὸς Ἀλκίμαχος αὐτῷ παρασκευάζειν κελεύοι ταύτην τὴν ναῦν: *κελεύοι* S et γρB (Bk. Tu. Vo.), *κελεύει* v. (Dd. Bl.); praeterea pro *δεῖ* in S[1] *δεῖν* est. — 59, 81 *ἐδεῖτο . . . λέγων, ὅτι οὐκ ᾔδει Νεαίρας αὐτὴν οὖσαν θυγατέρα, ἀλλ' ἐξαπατηθείη ὑπὸ Στεφάνου . . . καὶ διὰ τὴν ἀπειρίαν τῶν πραγμάτων καὶ τὴν ἀκακίαν τὴν ἑαυτοῦ τοῦτον πάρεδρον ποιήσαιτο, ἵνα διοικήσῃ τὴν ἀρχήν, ὡς εὔνουν ὄντα, καὶ διὰ τοῦτο κηδεύσειεν αὐτῷ.* — 59, 51 *πεπυσμένος σαφῶς ἤδη, ὅτι Στεφάνου μὲν οὐκ εἴη θυγάτηρ, Νεαίρας δέ, τὸ δὲ πρῶτον ἐξηπατήθη . . . ἐκβάλλει* (praes. hist.). — Optativi potentialis et orationis obliquae 59, 69, indicativus impf. c. *ἄν* coniunctus et optativus or. obl. 53, 23 consociati sunt. De 53, 5 cf. p. 34.

Denique optativi in continuata oratione obliqua inveniuntur: a) post indicativum 50, 44 *ᾔδειν οὖν ὅτι οὗτος μὲν παραλαβὼν αὐτὴν κακῶς ἔμελλε τριηραρχήσειν· οὔτε γὰρ τῷ τριηραρχήματι οὔτε τοῖς ἐπιβάταις καὶ τῇ ὑπηρεσίᾳ χρήσοιτο· οὐδεὶς γὰρ αὐτῷ παραμενοῖ*[1]); b) post optativos 1, 22 *ἤκουον δ' ἔγωγέ τινων, ὡς οὐδὲ τοὺς λιμένας καὶ τὰς ἀγορὰς ἔτι δώσοιεν αὐτῷ καρποῦσθαι· τὰ γὰρ κοινὰ τὰ Θετταλῶν ἀπὸ τούτων δέοι διοικεῖν, οὐ Φίλιππον λαμβάνειν.* 50, 50 *ἀποκρίνεται* (praes. hist.) . . . *ὅτι τριήραρχός τε ἐγὼ τῆς νεὼς εἴην καὶ ὑπεύθυνος, καὶ τὸν μισθὸν παρ' ἐμοῦ λαμβάνοι· πλεύσοιτο οὖν οἷ ἐγὼ κελεύω.* 53, 10 *κλάων ἔλεγεν ὅτι οἱ ξένοι ἀπαιτοῖεν αὐτὸν . . . τὸ λοιπὸν ἀργύριον, καὶ ἐν ταῖς συγγραφαῖς εἴη τριάκονθ' ἡμερῶν αὐτὸν ἀποδοῦναι ἢ διπλάσιον ὀφείλειν, καὶ ὅτι τὸ χωρίον τὸ ἐν γειτόνων μοι τοῦτο οὐδεὶς ἐθέλοι οὔτε πρίασθαι οὔτε τίθεσθαι· ὁ γὰρ ἀδελφὸς . . . οὐδένα ἐῴη οὔτε ὠνεῖσθαι οὔτε τίθεσθαι.* —

Singularum constructionum exemplis iam omnibus enumeratis quaeramus, quid inter singulas intercedat, subtiliter examinantes, quibusnam conditionibus indicativi orationis rectae, quibusnam indicativi praeteriti, quibusnam optativi orationis obliquae post tempora praeterita usurpentur.

---

1) *παραμενοῖ* Bk. Bl.: *παραμενεῖ* S Dd. Tu. Vo. Madvig, Syntax 130 an. 4.

Atque primum quidem non nisi indicativos inveni, ubi quae ad verbi regentis eadem ad oratoris tempus valent. Quod fit: 1) ubi „praesens usurpatur de iis, qnae non ad praesens tantummodo tempus pertineant, sed ad omne fere tempus referri possint, quum de iis mentio fiat, quae accidere solent, vel commemorantur verba quaedam, quae in usum proverbiorum aut sententiarum vel locorum communium, quos dicunt, locum abierunt.“ [1]) Ut 15, 16. 18, 87. 99. 19, 151. 239. 244. 283 bis. 22, 30. 23, 26. 38. 219. 24, 210. 212. 25, 13. 59, 76. 86. 61, 18; praeterea 19, 126. 44, 34, cf. p. 33. 34. — Deinde ea huc pertinent, quae etsi non locorum communium auctoritatem habent, tamen non solum ad tempus aliquod praeteritum, verum etiam ad id, quo de iis mentio fit, referenda sunt. Enuntiatis explicativis tum *ἔδειξα, ἐπέδειξα, ἐδίδαξα* vel eorundem verborum coniunctivi ab *ἵνα* pendentes plerumque praecedunt; qui aoristi proxime ad perfectorum notionem accedunt, quin etiam cum his alternant (cf. 33, 35 *ὅτι μὲν οὖν ἐγὼ μὲν ὀρθῶς τὴν παραγραφὴν πεποίημαι, Ἀπατούριος δὲ τὰ ψευδῆ ἐγκέκληκε καὶ παρὰ τοὺς νόμους τὴν λῆξιν πεποίηται, ἐκ πολλῶν οἶμαι ἐπιδεδεῖχθαι τοῦτο.* 40, 38. — 26, 1. 40, 19). Quos inter locos numeraverim: 10, 10. 19, 26. 24, 108. 30, 31. 35, 54. 36, 42. 37, 19. 21. 50, 57. — Duo denique enuntiata addenda sunt, in quibus indicativos orationis rectae servari necesse fuit, ne sensus verborum obscuraretur aut immutaretur: 15, 6 *οἶμαι δὲ καὶ μόνος ἢ δεύτερος εἰπεῖν, ὅτι μοι σωφρονεῖν ἂν δοκεῖτε, εἰ ... μὴ ... ποιοῖσθε κτέ.* 23, 117 *καὶ γὰρ ἐκεῖνόν φασιν ... εἰπεῖν ὅτι πίστιν ἂν οἴεται γενέσθαι μόνην εἰ δείξειαν κτέ.*, ubi optativi si dicti essent facile fieri potuit, ut ab hominibus non attente audientibus etiam cum particula *ἂν* iungerentur, quo sensus perversus eveniret.

Reliquos indicativos in tabula I descriptos nunc praetermittamus, quoad de indicativis praeteritis (tab. II) et de optativis orationis obliquae (tab. III) disseruerimus.

Indicativi igitur praeteriti orationis obliquae, quibus ea quae enuntiatis explicativis continentur ad oratoris tempus referuntur, de iis praecipue usurpantur, quae, cum re vera facta sint, quam-

---

[1]) Cavallin l. c. p. 20.

quam a verbis dicendi vel sentiendi pendent, tamen non ex mentibus dicentium vel sentientium videntur dicta esse; ut 7, 25. 9, 62. 23, 164. 187. 30, 6. 28. 35. 35, 25. 40, 40. 43, 5. 32. 69. 44, 36. 54. 45, 61. 46, 1. (47, 41.) 48, 6. 49, 31. 50, 44. pr. 50, 3., ubi haec verba leguntur: *γιγνώσκω, δείκνυμι, ἐνδείκνυμαι, ἐπιδείκνυμι, -μαι, δηλῶ, δικάζω, ἐξελέγχω* (bis), *ἐπιλογίζομαι, ἔργῳ μαρτυρῶ, οἶδα* (quinquies), *σύνοιδα, ὑπονοῶ, οὐκ ἄδηλον ἦν* (bis), *γνώριμον ἦν*; quae plerumque cum particula *ὅτι* copulantur; *ὡς* duobus tantum locis, 23, 164. 187, exhibetur, ubi tamen ne enuntiata interrogativa intellegamus nihil nos impedit. — Insolentius iidem indicativi de iis videntur dicti esse, quae, quia mendacia sunt, ex eorum, qui dixerunt, mentibus intellegenda sunt: 19, 305 (*ἐπήγγελλεν ὡς*), 30, 27 (*οὐκ ἐδύνατ' ἀρνηθῆναι, ὡς οὐ*), 43, 29 (*ἐψεύσατο ὑπερμέγεθες ψεῦδος ὅτι*), 50, 54 (*ἵνα μὴ πρόφασις αὐτῷ γένοιτο ὡς*), 57, 61 (*οὐδὲ τὴν ψῆφον ἤνεγκεν ὡς*), quos ex attractione quadam temporum explicandos esse puto. —

Optativi in iis potissimum enuntiatis ponuntur, quibus aut verba ex colloquiis repetita aut mendacia calumniaeque continentur. Illius generis exempla leguntur: 30, 20. 33, 10. 34, 11. 35, 29. 36. 42, 6. 47, 35. 36. 57. 61. 48, 6. 49, 55. 50, 26. 27. 31. 36. 37 bis. 40. 47 bis. 48. 50. 55. 56. 52, 3. 5. 8. 19. 53, 6. 7. 8. 10. 59, 38; quae pendent ex verbis *λέγω* (terdecies), *εἶπον, λόγον προσφέρω, λόγῳ ἐπαίρω καὶ φυσῶ, ἀποκρίνομαι* (sexiesdecies), *φράζω* (bis), quibus interdum, quo accuratius colloquia significentur, participia *προσελθών, ἀπαντήσας* adiunguntur (cf. *προσέρχεται λέγων* 50, 47. 52, 19. 53, 6). Haec omnia enuntiata explicativa a particula *ὅτι* incipiunt, excepto uno 53, 6 *λέγων πρὸς ἐμὲ ὡς ἀκούει αὐτὸν δεινῶς διακεῖσθαι,* quod ob eam causam dubito an enuntiatis interrogativis adnumerandum sit. Addam autem eos locos, ubi *λέγοντος* vel simile quid ad *ἀκούω* et *πυνθάνομαι* subaudire licet: 47, 67. 48, 19. 59, 56. Cf. etiam 47, 49. 50, 37. 53, 23; 47, 68; 59, 51 p. 35 sq. — Deinde optativi de mendaciis dicti sunt: 7, 2. 18, 22. 19, 16. 33, 17. 18. 34, 49. 43, 3. 39. 47, 6. 46. 52, 15. 57, 19. 58, 30. 59, 9. 9; ubi verba praecedunt: *αἰτιῶμαι, αἰτίαν ἐπιφέρω, ἀμφισβητῶ, ἀντόμνυμι, δημηγορῶ καὶ κατηγορῶ, ἔξαρνος γίγνομαι, κατασκευάζω, καταχρῶμαι, κατηγορῶ καὶ λέγω, λέγω* (bis), *μαρ-*

τυρῶ (ter), *προφασίζομαι*, quae interdum cum aliis verbis aut adiectivis ita componuntur, ut ea quae narrantur falsa esse neminem fugere possit, ut 59, 9 *ἐπενέγκας γὰρ αὐτῷ αἰτίαν ψευδῆ, ὡς κτέ.* 18, 22 *εἰς τοῦθ' ἧκεν ἀναιδείας, ὥστ' ἐτόλμα λέγειν, ὡς ἄρ' ἐγὼ ... κεκωλυκὼς εἴην κτέ.* In omnibus his enuntiatis non nisi particula *ὡς* usui est. Cf. 27, 49. 32, 8. 48, 44. 59, 69 p. 35 sq. Praeterea 1, 22, ubi quae rumoribus ad oratorem perlata sunt narrantur, his adiungere licet. — Restant pauci loci, qui neutri eorum, quae modo descripsimus, generi inseri possunt: 21, 134 *εἰ μὲν γὰρ ἐποίεις ταῦτ' ... ἅ σέ φασιν οἱ συνιππεῖς καὶ κατηγόρεις ὡς λέγοιεν περὶ σοῦ.* 23, 10 *εὔδηλον ἦν ὅτι βοηθήσοι.* 24, 158 *ὥστ' εὖ εἰδέναι* (impf.), *ὅτι οὐδὲν αὐτῷ γενήσοιτο φλαῦρον.* 36, 6 *ὁρῶν ὅτι ... οὐχ οἷός τ' ἔσοιτ' εἰσπράττειν ... εἵλετο κτέ.* 47, 38 *ἐπεπύσμην αὐτὸν ὅτι οὐκ εἴη γεγαμηκώς.* 47, 73 *οὐκ ἂν ἐτόλμησα, οὐδ' ἂν εἰ εὖ ᾔδειν ὅτι αἱρήσοιμι αὐτούς.*[1]) 48, 6 *ἐλογισάμην ὅτι οὐκ ἐν καιρῷ ὀργιζοίμην.* 56, 9 *ἀποστέλλει* (praes. hist.) ... *ἀκριβῶς εἰδὼς ὅτι ἀναγκαῖον εἴη τῇ νηὶ προσσχεῖν εἰς Ῥόδον.* 59, 57 *ἐπείσθη ... λογισμὸν ἀνθρώπινον καὶ εἰκότα λογιζόμενος, ὅτι πονηρῶς μὲν ἔχοι καὶ οὐ πολλὴ ἐλπὶς εἴη αὐτὸν περιγενήσεσθαι.* — De 48, 16 cf. p. 33, 6.

Revertamur nunc ad indicativos adhuc neglectos; qui dicuntur primum de iis, quae cum primum eorum mentio fieret, re vera vel erant vel fuerant vel futura erant, i. e. iisdem sub conditionibus, quibus indicativos praeteritos orationis obliquae usitatos esse cognovimus. Ut 3, 35. 5, 10. 6, 8. 7, 21. 9, 11. 12. 10, 9. 12, 16. 16, 12. 18, 169. 291. 19, 21. 44. 45 bis. 49. 54. 60. 77. 102. 125. 209. 245. 302. 306. 320. 321. 20, 73. 96. 166. 21, 103. 22, 76 = 24, 184. 23, 74. 117. 156. 157. 158. 165. 169. 173. 175. 24, 12. 36. 77. 156. 25, 60. 27, 57 = 29, 49. 28, 14. 29, 7. 9. 12. 44. 58. 30, 23. 26. 31, 4. 32, 4. 5. 33, 14. 34, 49. 36, 8. 43. 39, 1. 32. 42, 5. 45, 5. 13. 79. 46, 2. 47, 10. 31. 33. 65. 78. 48, 5. 16. 40. 49, 16. 50, 5. 9. 17. 52, 30. 56, 13. 18. 57, 16. 64. 58, 58. 59, 53. 62. 68. 100 bis. 60, 28. 30 bis. 31; ubi haec verba inveniuntur: *καταγορεύω, ἀγγέλλω, ἄγγελος ἦλθε, ἀπαγγέλλω* (quater), *διαγγέλλω, εἰσαγγέλλω, οὐκ ἀγνοῶ* (ter), *αἰσθάνομαι* (quater),

[1]) Cf. an. 2 ad tab. III.

ἀκούω (ter), βοῶ, γιγνώσκω (sexies), γράφω (bis), γράφομαι, ἐγγράφω, προσγράφομαι, δείκνυμι καὶ διαμαρτύρομαι, δεῖγμα ἐκφέρω, ἐνδείκνυμαι (bis), ἐπιδείκνυμι, διδάσκω (ter), δηλῶ, πρόδηλόν ἐστιν, ἐξελέγχω, διεξέρχομαι, οὐ λανθάνει (bis), παραλαμβάνω, λέγω (octies), εἶπον, προλέγω (bis), προεῖπον, λογίζομαι (ter), λογισμὸν λαμβάνω, μαρτυρίαν καταλείπω, καταμαρτυρῶ, διαμαρτύρομαι, οἶδα (ter decies), σύνοιδα (ter), ὁρῶ (quater), παρορῶ, πεῖραν δίδωμι, πρόφασιν ποιοῦμαι, πυνθάνομαι (ter), προστίθημι, τεκμηρίῳ χρῶμαι, φανερὸν ποιῶ, φανερὸς γίγνομαι, φανερὸν γίγνεται, φανερόν ἐστιν, ὑπισχνοῦμαι. Particula ὅτι his in exemplis frequentissima est; interdum autem ὡς occurrit.

Reliqui indicativi de iis dicuntur, de quibus optativos frequenter usurpatos vidimus; occurrunt igitur 1) in colloquiis per orationem obliquam repetitis: 24, 140. 32, 15. 34, 13. 35, 30. 47, 49. 48, 6. 37. 50, 51. 53, 23. 56, 5. 59, 30 (λέγω sexies, ἀποκρίνομαι ter, ἀπειλῶ, προσαγορεύομαι); praeterea 19, 193. 194. 23, 117, ubi enuntiata explicativa ab εἰπεῖν φασιν αὐτόν, et 24, 213, ubi a λέγεται εἰπεῖν pendet, quae verba optativo nunquam addi memini. Quartum praeter ea quae attuli (35, 50. 48, 6. 53, 23) verbi ἀποκρίνομαι cum indicativo coniuncti exemplum 23, 212 est, ubi tamen non de colloquio sed de publico Megarensium responso usurpatur. — Deinde indicativi de iis ponuntur, quae oratore iudice falsa esse apparet; cuius generis sunt 1) ii loci, ubi privatae quaedam quorumlibet sententiae commemorantur: 3, 35. 4, 5. 8, 4. 8, 56 = 10, 58. 8, 74. 18, 206. 19, 24. 22, 48 = 24, 161. 32, 21. 22. 59, 5 (δημηγορῶ, δημηγορίαν ποιοῦμαι bis, εἶπον quater, λέγω bis, ἔχω τὴν γνώμην, ὑπολαμβάνω, καταγιγνώσκω, ἀντιχειροτονῶ c. particula ὡς); 2) ii loci, ubi de mendaciis ab aliis fictis refertur: 6, 30. 8, 73. 18, 35. 132. 240. 19, 61. 127. 135. 194. 306. 321. 333. 21, 104. 110. 151. 198. 22, 2 = 24, 7. 22, 59. 23, 100. 160. 162 bis. 24, 15. 27, 53. 28, 1. 1. 31, 6. 34, 14. 17. 47. 37, 23. 24. 39, 22. 40, 9. 10. 58. 43, 65. 45, 5. 46, 1. 47, 16. 78. 48, 45. 56, 11. 58, 27. 31. 59, 5. 10. Hic leguntur verba: ἀκούω, ἀπαγγέλλω, αἰτιῶμαι bis, αἰτιῶμαι καὶ λέγω, βοῶ καὶ κέκραγα, γράφω (quater), ἐγγράφω, δημηγορῶ, διδάσκομαι καὶ ἀκούω, ἔξαρνος γίγνομαι, ἐλπίδας παρίστημι, κατασκευάζω (bis), λέγω (ter

decies), *εἶπον* (ter), *τῷ λόγῳ παράγω, λογοποιῶ, λογοποιοὺς καθίημι, μαρτυρῶ, μαρτυρίαν ἐμβάλλομαι* (ter), *ψευδεῖς μάρτυρας παρέχομαι* (bis), *νεανιεύομαι, διόμνυμαι, πείθω* (ter), *ψεύδομαι*. Particulam *ὅτι* modo 48, 45 *ἔλεγες . . . ὅτι ἐδάνεισάς μοι* (= mentitus es) inveni, ceteris locis *ὡς*. Addas 28, 1 (*ὡς δ' ὀφείλων ἐτελεύτησεν, οὐδεμίαν παρέσχετο μαρτυρίαν*), 23, 66. 25, 76. 27, 49. 51. 30, 36. 37. 46, 2. 47, 5. 16. 17. 30. 48, 46. 53, 2. 57, 34, ubi intellegendum: neque vero ullo testimonio probavit ea, quae mentitus est etc., vel simile quid. —

Ex hac autem exemplorum dispositione primum apparet, tres orationis obliquae formas non ita inter se differre, ut ubi alia usurpetur, alia locum non habeat; nam exceptis paucis illis locis, ubi quae enuntiatis explicativis continentur et ad verborum regentium et ad oratoris tempora pertinent, iisdem sub conditionibus, sive vera sive falsa referuntur, et unam et alteram et tertiam poni cognovimus. Itaque diversas significationes habere non possunt; quod qui docuerunt, ad absurdissimas interpretationes adducti sunt, ubicunque idem verbum minimo spatio interposito bis usurpatum hic cum indicativo, illic cum optativo iunctum est (cf. 34, 47. 49), aut indicativi et optativi eodem in enuntiato consociati sunt (cf. p. 35 sq.), aut in enuntiatis secundariis orationis obliquae optativi, ubi in primariis indicativi (ut 57, 16), aut ibi indicativi, hic optativi inveniuntur (ut 50, 47. 50).[1]) — Deinde diversas orationis obliquae formas ex diversis temporum rationibus explicandas esse, ex iisdem elucere videtur.[2]) Namque quae per orationem obliquam a tempore quodam praeterito pendentem referuntur, et ad illud et ad oratoris tempus referri possunt. Illud si fit, tempora orationis rectae in oratione obliqua retinentur; modique aut servantur, quo recta temporum perceptio auditoribus permittitur, aut ita mutantur, ut optativi in indicativorum locos succedant, quibus orationem obliquam ad verbi dicendi vel sentiendi tempus pertinere proprie significatur.[3]) Sin autem ex suo ipsius tempore orator loquitur,

---

[1]) Cf. Madvig, Bem. p. 9 sq. [2]) Cf. Klemens in dissertatione p. 34 an. 1 citata. [3]) Cf. Madvig, Bem. p. 11: „Der optativ ist eine spezielle bezeichnung des satzes als eines solchen, der zugleich untergeordnetes glied sei und zu einem hauptsatze der vergangenen zeit gehöre. — Diese spezielle bezeichnung des von einem praeteritum abhängigen

pro indicativis praes., fut., perf. indicativi imperf., fut. praet., plusqpf. substituuntur. Optativis igitur oratio obliqua cum verborum sentiendi vel dicendi subiectis artissime copulatur; qua de causa eos de colloquiis mendaciisque potissimum, quae sine illis cogitari omnino non possunt, usurpari non est quod mireris;[1]) indicativis autem praeteriti oratio obliqua verborum dicendi vel sentiendi dominatione quasi liberatur; quam ob rem eos de rebus vere factis dicenti aptissimos esse manifestum est.

Quae hac quoque tabella comprehendere licet:

I. Nullum inter verbi regentis et oratoris tempora discrimen intercedit: indicativi orationis rectae servantur (cf. p. 37).

II. Tale aliquod discrimen intercedit:

1. neque vero ab oratore proprie notatur: tempora modique orationis rectae retinentur;
2. et ab oratore verborum formis depingitur:
   a) optativus usurpatur, ut oratio obliqua ex praecedente verbo artissime nectatur;
   b) indicativus praet. adhibetur, ut quae oratione obliqua continentur proprium quasi momentum et pondus accipiant.[2])

---

satzes hatte sich in der sprache nicht als notwendig geltend gemacht und konnte aufgegeben werden. Aufgegeben wurde dann die bezeichnung der abhängigkeit, nicht diese selbst."

[1]) Cf. Klemens, l. l. p. 6: „Die ausgesagte Sache, sobald sie ausdrücklich der mittelbaren Beziehung zum Schriftsteller — oder dem, der an seiner Stelle redend eingeführt wird — entzogen und mit einer anderen Zeit und dem dort wirksamen Subjekt in genaue Verbindung gebracht wird, muss dadurch allerdings in ihrer Geltung beschränkt werden, oder vielmehr sie ist nicht sowohl für sich allein wichtig, sondern hat ihre eigentliche Bedeutung erst, insofern sie gerade mit diesem Subjekt in Verbindung gebracht wird. Hieraus erklärt sich der manchmal vorhandene Eindruck, als ob das im Optativ Gesagte eine geringere Gewissheit beanspruche, als was im Indikativ ausgesagt ist." [2]) Aken, Tempus und Modus § 103 sqq., diversas has orationis obliquae structuras ita expedire conatur, ut discrimen illud, quod inter accusativos verbalem vel effectivum et transitivum statuitur, comparet. (Accusativus autem verbalis appellatur, si res eo notata faciendo demum eo, quod verbo significatur, efficitur; transitivus autem, si illa res iam ante faciendum exstabat faciendoque tantum relatione passiva afficitur.

Quae si recte disputata sunt, sequitur, ut optativi a temporibus principalibus pendentes linguae Graecae legibus repugnent eorumque, ubi dicuntur, singulorum rationes quaerendae sint. Atque 16, 5 optativum ex modorum attractione repetendum esse p. 34 an. 1 exposuimus; reliqui non dubito quin inde explicandi sint, quod orator, etsi perfecta et praesentia posuerat, tamen aoristis et imperfectis se usum esse, cum enuntiatorum explicativorum verba pronuntiaret, opinabatur; eiusmodi enim peccata in cotidiano sermone multa occurrunt facileque ex animi humani natura illustrantur. Ut 47, 13 et 52, 22 oratoris animum a perfectis *μεμαρτυρήκασιν* et *οὐ τετολμήκασιν μαρτυρῆσαι* ad aoristos *ἐμαρτύρησαν* et *οὐκ ἐτόλμησαν μαρτυρῆσαι* aberrasse puto, id quod eo facilius fieri potuit, quo proprius illa perfecta ad aoristorum notionem accedunt (cf. Mahlow, Kuhns Zts. 26, 599 sqq.); 59, 5 ex verbis *καὶ νῦν ἔτι ὁμολογεῖται* subaudiendum esse *ὥσπερ καὶ πρότερον ὡμολογεῖτο* iam Aken l. l. § 94, 3 vidit; similiterque 56, 21 *ὥσπερ καὶ πρότερον ἔλεγε* vel simile quid in oratoris animo versatum esse existimo. Certe, quamquam tales optativos apud recentioris aetatis scriptores frequentiores esse constat,[1]) vestigia recentioris cuiusdam usus maxime ex sermone Atticorum cotidiano orti illis locis Demosthenicis agnoscere non debemus; etenim, cum in lingua Neograeca quae vocatur optativus plane aboleverit,[2]) dubium esse non potest, quin apud illos scriptores optativi usus per falsam Atticorum imitationem propagatus sit.[3])

Ut „domum aedificare“ verbalem habet accusativum, quoniam domus aedificando demum gignitur, „domum exornare“ transitivum, cum domus iam ante exornandum fuerit.) Sed hoc discrimen, quamquam mutatis mutandis ad enuntiata explicativa transferri potest, tamen ad eorum tempora modosque aliquid valere mihi persuadere non potui.

[1]) Cf. p. 28 an. 1. [2]) Cf. F. W. A. Mullach, Grammatik der gr. Vulgärsprache etc., Berlin 1856, p. 220. 372. E. Legrand, Grammaire grecque moderne, Paris 1878, p. 57. Iam in Novo Testamento pro optativis alias quasdam constructiones substitutas esse Winer, Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms, Leipzig 1855, p. 35. 252 exposuit.
[3]) Admoneo etiam de optativis in enuntiationibus explicativis post tempora primaria usurpatis 3, 34. 22, 11. 24, 145. 147, de quibus v. Ph. Weber, Entwicklungsgeschichte der Absichtssätze II (= Schanz, Beitr. II, 2 [5], Würzburg 1885) p. 37 sq.

Denique de singulis optativi temporibus haec addenda sunt:

1. Optat. praes. ad ind. impf. orationis rectae respondens tam frequenter usurpatur, ut eum ubique ex falsa optativi orationis obliquae propagatione ortum esse Akenio (§ 98) concedendum non sit.

2. Item in optativo aor. orationis obliquae nihil soloecismi inesse patet; nam cum nemo dubitare possit, quin optativi aoristi a verbis dicendi vel sentiendi pendentes ad tempora praeterita referendi sint, nulla profecto causa erat, cur a scriptoribus vitarentur.[1]) Ceterum tales optativi non nisi praecedentibus imperfectis et aoristis, nusquam post praesens praeteriti vi fungens reperiuntur.

3. Optativi perf. formas non nisi compositas inveni.[2])

Agmen claudat enumeratio eorum locorum, ubi verbi *εἶναι* formae quaedam in enuntiatis explicativis praetermissae sunt. *εἰμί* supplendum est: 18, 268., *εἶ* 19, 335., *ἐστίν* 4, 50. 5, 8. 8, 52 = 10, 55. 10, 72. 19, 157. 194. 300. 336 bis. 20, 24. 62. 98. 21, 120. 22, 59. 23, 114. 125. 24, 109. 26, 16 bis. 29, 14. 36, 3. 45, 45. 54, 44. pr. 23β. 25, 3. 39, 3; deinde ad adiectiva verbalia 16, 9. 17, 14. 22, 44. 23, 79. 61, 36 et ad locutiones impersonales, quae dicuntur, cum acc. c. inf. coniunctas: (*οὐκ ἔνι* 10, 2. 18, 7. 38, 9). *οὐκ εἰκός* 52, 1. *οἷόν τε* 14, 25. 27, 54. 30, 19. 38, 10. *δίκαιον* pr. 56, 3. *ἀνάγκη* 14, 34. 18, 34. Praeterea *ἐστίν* a Bl. coniectura deletum est: 9, 21. 19, 120. 22, 20. 45, 78. *ἐσμέν* deest 54, 44, *εἰσίν* 19, 75. 24, 15., *ἔσται* 16, 20. — Denique 19, 70. 23, 18 *ἐστίν* et 4, 50 *ἔσται* omitti necesse erat, ne eadem verba paucis modo interpositis bis usurpata audientium aures offenderent. — 18, 277 anacoluthon legitur: *κἀκεῖν' εὖ οἶδ' ὅτι τὴν ἐμὴν δεινότητα — ἔστω γάρ.*

§ 4. Appendices.

1. Enuntiata explicativa et accusativi cum infinitivis coniuncti simul ab iisdem verbis pendent: 4, 48, ubi duobus accusativis c. inf. c. unum enuntiatum explicativum interpositum

---

[1]) Cf. Madvig, Synt. § 134a; Bem. p. 24. [2]) Cf. J. La Roche, Beitr. p. 161—172, qui tamen non omnia exempla attulit.

est;[1]) 27, 19. 55, 15, ubi accusativi c. inf. c. enuntiatis explicativis praemissi sunt; 7,2. 19,16. 59,118, ubi accusativus c. inf. c. sequitur; 17,7. 19,283. 23,110.117. 24,213. 34,9. 53,23. 54,14. 61, 18, ubi oratio obliqua accusativis c. inf. a particulis *δή, γάρ* (bis), *διό, ἐπεί, καὶ δὴ καί, οὐδέ, οὐδὲ γάρ, οὖν* (bis) incipientibus continuatur. His Cobet et We. 23, 191 coniectura adiecerunt, cum *οὐ δὴ δεῖν μνησικακεῖν*[2]) scriberent; Cobet[3]) etiam 19, 151, cum post *οὐ διαμαρτήσεσθαι τὴν πόλιν* verbum *ἡγούμην* deleret. Praeterea 7, 21 *ὑμῖν ἐμέμφετο, ὅτι ... κωλύετε* accusativo c. inf. c. excipitur. Praeceptum in accusativo c. inf. positum 35, 18 orationi obliquae adiunctum est.

Enuntiata explicativa cum participiis consociata sunt: 10, 72. 30, 35. 59, 38.

2. Haud raro accidit, ut verba quaedam, quae in enuntiatis explicativis exspectes, enuntiatis primariis inserta sint. a) Ita saepissime, quae illorum subiecta sunt, in his obiectorum locos obtinuerunt: 5, 22 *Φίλιππον τοίνυν τινὲς μὲν δήπου τολμῶσι λέγειν, ὡς οὐδ' ἐβούλετο Θηβαίοις Ὀρχομενὸν καὶ Κορώνειαν παραδοῦναι, ἀλλ' ἠναγκάσθη.* 7, 25. 8, 56 = 10, 58. 9,50. 19,236.305. 22,2 = 24,7. 22,46. 23,129.178. 24,156.211. 26, 16.[4]) 27, 57 = 29, 49. 29, 10. 31, 9. 32, 4. 40, 9. 58. 43, 23. 45, 2. 15. 46, 5. 47, 7. 38. 48, 6. 50, 2. 29. 55, 22.[5]) 56, 27. 57, 19. 58, 15. 58. 60, 28. Rarius subiecta ex enuntiatis explicativis soluta nominativi formas retinuerunt: 19, 78 *ἂν ... Χερρόνησος ὡς περίεστι τῇ πόλει λέγῃ.* 53, 6 *λέγων τήν τε τούτου συμφοράν, αὐτός τε ὅτι ... οὐ πεπορευμένος εἴη κτέ.* Qua ex structura, cum verbum dicendi passive usurpatur, constructio personalis, quam vocant, oritur, ut 56, 37 *ἡ ναῦς ὅτι μὲν σέσωσται καὶ ἔστι σώα, καὶ παρ' αὐτῶν τούτων ὁμολογεῖται.* Et accusativos et nominativos cognoscere licet, ubi enuntiatorum explicativorum subiecta neutri generis sunt: 8, 73 *καὶ τοῦθ' ὅτι τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον ῥᾳδίως οἶμαι*

---

[1]) Eadem structura 47, 49 in S[1] legitur; sed rell. libri *δεῖ* exhibent. [2]) *δεῖ* libri. [3]) V. L.[2] p. 509. [4]) *ὅτι δ' οὐδὲ χρήσιμος, ἐξ αὐτῶν τῶν πολιτευμάτων ἄν τις αὐτὸν θεωρήσειεν.* Frohberger, Annot. ad orat. Att. Philol. 29, 1870 p. 621 sq. *αὐτοῦ θεωρήσειεν* scribendum proposuit. [5]) *ὃν ὅτι μὲν αὐτὸς ἐξημάρτηκε ... ἐκ τῶν μαρτυριῶν αὐτίκ' εἴσεσθε σαφέστερον·* pro *ὃν* A exhibet *ὅς*.

δείξειν. 9, 41. 20, 166. 22, 17. 27, 7. 29, 50. 30, 35. 44, 45. 45, 23. 45. 46, 2. 59, 89. — Cf. 45, 49.

b) Praeterea accusativi saepius ex enuntiatis explicativis in primaria translati sunt: 19, 154 *καὶ ταῦθ' ὅτι οὐκ ἐπὶ τοῖς συμβεβηκόσι νυνὶ πλάττομαι καὶ προσποιοῦμαι, ... ἐκεῖθεν εἴσεσθε.* 20, 111. 149. 21, 27. 58. 23, 219. 24, 109. 156 (*τὴν μὲν οὖν τοὐνόματος φιλανθρωπίαν, ὅτι ταύτην ἂν μάλιστα προσεῖσθε, κατεῖδε*). 25, 47 bis. 26, 10. 29, 46. 52. 30, 36. 31, 4. 36, 39. 37, 19. 20. 38, 25. 46, 3. [47, 4.[1]] 59, 100. Qua constructione oratorem uti necesse erat, ubi enuntiatorum explicativorum obiecta pronominibus relativis efficiuntur: 8, 32 *ὃν ἴσθ' ὅτι λήψεσθε.* 19, 244. 28, 9. 47, 39. 78. — Cf. etiam 24, 28.

c) Aliae quaedam partes enuntiatorum explicativorum primariis insertae sunt: 3, 35 *οὐκ ἔστιν ὅπου μηδὲν ἐγὼ ποιοῦσιν τὰ τῶν ποιούντων εἶπον ὡς δεῖ νέμειν.* 4, 3. 18, 268. 19, 78. 116. 21, 110. 24, 1. 5. 44. 76. 30, 10. 41, 19. 43, 3. 45, 23. 53, 2. 56, 23.

Omnibus his locis vulgarem usum dicendi ideo desertum esse, ut in ea, quae insolentibus locis posita sunt, cum essent gravissima, auditores maxime animum intenderent, facile cognoscitur. Cum iis autem eos locos comparare licet, quibus vocabula quaedam praepositionibus *περί* vel *κατά* instructa enuntiatis explicativis praefixa sunt, ut 18, 82 *ὦ βλασφημῶν περὶ ἐμοῦ καὶ λέγων, ὡς σιωπῶ μὲν λαβών, βοῶ δ' ἀναλώσας,* ubi *περὶ ἐμοῦ* insignis esse momenti ex iis quae sequuntur (*ἀλλ' οὐ σύ, ἀλλὰ κτέ.*) elucet; 7, 7. 18, 131. 22, 18. 21. 27, 24. 28, 21. 29, 4. 37, 20. 44, 12.

---

[1]) *περὶ μὲν γὰρ τῆς μαρτυρίας, ὅτι ψευδῆ μεμαρτυρήκασιν, αὐτοί μοι δοκοῦσιν ἔργῳ ἐξελέγχειν αὐτήν* libri praeter γρFQ, ubi *αὐτούς* (*αυτους*) pro *αὐτήν* legitur.

Caput II.

De infinitivis orationis obliquae ex verbis dicendi, cogitandi, sim. pendentibus.[1])

§ 1. Enumerantur ea verba, quae cum infinitivis orationis obliquae coniuncta in Corpore Demosthenico inveniuntur.

In enumerandis his verbis eundem quem supra ordinem tenebo, quamquam eum non omnino perfectum esse non nescio. Primum enim de nonnullis verbis dubitare licet, utrum verbis dicendi an cogitandi potius adnumeranda sint; qualia sunt *ὁμολογῶ*, quod et consentire et concedere significat, *πείθω* aliaque, quae active usurpata notionem dicendi, passive posita cogitandi habent. De aliis deinde verbis, ut *ψηφίζομαι,* vix certo iudicaverimus, utrum in verbis dicendi an in verbis decernendi, volendi sim. ducenda sint; quorum ea modo exempla afferam, quae aliam ac verborum simpliciter dicendi interpretationem admittere non videntur; omnino autem secludam verba *δικαιοῦν* et *ἀξιοῦν,* quibus, quamquam olim ea „dignum iudicare" significasse constat, tamen ubique notio volendi admixta est.[2]) Idem de verbo *γιγνώσκειν* c. inf. coniuncto valet; sed ne quis desideret, exempla eius hic afferam: 12, 22. 18, 228. 24, 52. 32, 21. 59, 72. III, 45 (12, 14 ubi *εἶναι* supplendum est).[3]) Etsi igitur dispositionis meae imbecillitatem satis perspexi, tamen, quo index verborum aliquid commodior fiat, eam servabo eaque una in re a prioris capitis ordine recedam, quod verborum *δοκῶ* (videri), *ἡγοῦμαι, νομίζω, οἶμαι, φημί* omnia exempla non nominabo, sed in universum tantum, ne longus sim, numerum exemplorum, quae in singulis orationibus inveni, indicabo.

---

[1]) Omnibus iis locis, ubi in infinitivis vis iubendi, adhortandi, permittendi inest, ex dissertationis consilio seclusis eos modo tractabo, ubi infinitivi enuntiatis explicativis respondere cum iisque permutari posse videntur. — De huius constructionis natura primordiisque cf. C. H. Fleischer, D. I., Lips. 1870. C. Albrecht = Curtius, Stud. IV, 1871, p. 1—58. J. La Roche, Hom. Unters. II, Lips. 1893, p 1—78.
[2]) Cf. Buttmann, Mid. p. 165. Forssmann, Curtius Stud. VI. p. 22. [3]) Cf. *τὴν γνώμην ἀποφαίνω καὶ ἐμμένω αὐτῇ* c. inf. 59, 46. *ἀποδείκνυμαι* pass. 18, 250.

A) Verba personalia.

a) Verba dicendi sim.

(*ἀγγέλλω*) *ἀπαγγέλλω* 19, 63. 20, 105. 21, 36.
ἐξαγγέλλω 21, 162.
ἐπαγγέλλομαι 11,3. 18,132.178. 19,(48).[1]) 175. 20, 61. 23, 121. 35, 41 bis. 61, 48.

ἀμφισβητῶ[2]) 7, 18. 19, 19. 27, 23. 62. 33, 21. *οὐκ ἀμφισβητῶ, ἀλλ' ὁμολογῶ* 27, 15.

ἀπειλῶ 19, 275.

(*ἀρῶμαι*) *καταρῶμαι καὶ διόμνυμαι* 18, 283.[3])

ἀρνοῦμαι 19, 289. 27, 37. 28, 24. 57, 35.[4]) (cf. 21, 191. 25, 69).
ἐξαρνοῦμαι 27, 16. 34, 3.
ἔξαρνός εἰμι 21, 173. *ἔξ. γίγνομαι* 29, 10.

βεβαιῶ 7, 9. 32, 19.
διαβεβαιοῦμαι 17, 30.

βοῶ 19, 303.

γράφω 7, 33. 19, 137. 22, 2. 37, 24. 25. 38, 14. 44, 54. 53, 2. 58, 12.
ἀντιγράφομαι 42, 17. 44, 39.
ἀπογράφω 27, 16. 47. 59, 7.
ἐγγράφω 44, 53.
παραγράφομαι 32, 1. 24. 33, 3. 35, 45. 36, 24. 37, 1. 17. 38, 1. 3. 45, 5. 40. 76. 81.
ὑπογράφω 37, 23.

(*δέχομαι*) *ἀναδέχομαι* 2, 7. (24, 170.)[5]) 33, 22. 35, 8. 15.

---

4. Infinitivi εἶναι ab oratore praetermissi multa exempla p. 71 sqq. attuli. Hanc breviloquentiam Demosthenis maxime esse propriam, ibidem adnotavi; restat igitur, ut ostendam, quaenam orationes hac in re concinant. Maximam exemplorum copiam in orationibus Hellenicis, quae appellantur, memini, minimam in antiquissimis 27. 28. 30. 31., quibus duo tantum exempla exhibentur (27, 38. 30, 37); parvam etiam in or. 4. 36. 38. 54.; reliquas genuinas orationes fere aequales esse cognovi. Inter dubias sunt, quae ab illa breviloquentia omnino abhorrent; quae sunt orationes ab Apollodoro dictae (qua de causa Herwerden 59, 115 εἶναι falso sustulit) et 47.; 35. 43. 48.; 11. 26. 32. 33. 34. 41. 55. In aliis singularia tantum exempla reperiuntur, ut in or. 37. 40. 42. 44. 56. 58. 61. ep. I.; in aliis totidem fere, quot in singulis Demosthenis orationibus, ut in or. 7. (2), 10. (8 exempla), 13. (3), 17. (2), 25. (7 + 2 incerta), 29. (4), 39. (9 et 1 incertum), 45. (8)[1]), 51. (7), 57. (11), 60. (8); exordiis (45 + 1 incertum), ep. II. (2), III. (6), IV. (2), V. (2). Ex quibus eas orationes, quae maximo exemplorum numero insignes sunt, Demostheni esse vindicandas magna excitatur suspicio; neque vero eas, in quibus nulla aut singula tantum exempla inveniuntur,

---

[1]) In quod maxime animum intendas, cum or. 45. ab Apollodoreis separandam esse inde denuo appareat.

propter id ipsum damnare licebit, quoniam in paucis quoque genuinis raro tantum infinitivum *εἶναι* omissum esse vidimus. — Aeque atque inf. *εἶναι* participia *ὤν, οὖσα, ὄν* (*ὄντα, οὖσαν, ὄν*) (de quibus cf. p. 88 sq.) in plurimis Demosthenis orationibus[1]) saepius a legentibus supplenda sunt; praeterea etiam in or. 10. (bis), 25. (3 et 2 incertis locis), 26. (2), 32. (2), 37. (2), 45. (6 + 1 inc.), 57. (3), 61. (3), exordiis (19), II. (9), III. (3). Singula tantum exempla in or. 13. 35. 39. 41. 51. 56. 58. ep. I. IV., nullum in reliquis legi; inter quas cum quinque Apollodori et or. 47. sint, valde mirum est, quod in or. 50. *ὄντα* bis (§§ 9. 15.) omissum est; sed animadvertas utroque loco participia supplenda praecedentibus participiis perf. respondere, ex quibus ut ipsa participiorum quandam vim acciperent facile fieri potuit. (Ceterum cf. p. 76.) Cf. p. 88 sq.

Ἐστίν vel aliae quaedam verbi *εἶναι* formae finitae q. d. rarius praetermissae sunt, quam ut inde certa argumenta duci possint; sed orationes vere Demosthenicae, ad quas or. 10. 45. accedunt, maiore exemplorum numero inter alias videntur praestare. Cf. p. 44.

5. **Verba dicendi et declarandi, cogitandi et sentiendi**, sim. in tria genera discedunt: quorum uno ea continentur, quae singulis tantum modis construuntur (sive enuntiatis explicativis, sive accusativis c. infinitivis, sive participiis adduntur), altero ea, quae simul aut enuntiatis explicativis et infinitivis, aut illis et participiis, aut infinitivis et participiis adiunguntur, tertio ea, quae eadem et enuntiatis explicativis et infinitivis et participiis consociantur.

a) **Et enuntiatis explicativis et infinitivis adiunguntur:** *ἀμφισβητῶ, ἀπειλῶ, ἀρνοῦμαι, ἔξαρνος γίγνομαι, βεβαιῶ, βοῶ, γράφω, δημηγορῶ, θρυλῶ, ἀποκρίνομαι, λέγω, λόγον λέγω, ἀντιλέγω* (*ἀντεῖπον*), *διαμαρτύρομαι, διόμνυμαι, πείθω, ὑπισχνοῦμαι, φημί, προφασίζομαι.* — *ἐλπίδ' ἔχω, ὑπολαμβάνω* (= existimo), *λογίζομαι, διαλογίζομαι, ὑπονοῶ, πιστεύω, ὑποψίαν ἔχω.* — *αἰτιῶμαι, διαβάλλω, καταγιγνώσκω, γράφομαι* (= accuso), *ἐγκαλῶ, κατηγορῶ, καταμαρτυρῶ,* — *λόγος*

---

[1]) Exceptae sunt or. 27. 28. 30. 31.; 1. 5. 9. 16.; i. e. eaedem fere, in quibus inf. *εἶναι* raro praetermissus est.

ἐστίν. Compares etiam ἐγγυητής εἰμι ὡς cum ἐγγυῶμαι, ἐγγυητὴς γίγνομαι, ἐγγυητὰς καθίστημι c. inf.; πιστὸν δίδωμι ὡς cum πίστιν δίδωμι c. inf.; τὴν ψῆφον φέρω ὡς cum ψηφίζομαι c. inf.; ὄνειδος παρασκευάζεται ὡς cum ὀνειδίζω c. inf.

His ex verbis φημί enuntiatis explicativis (in nonnullis Demosthenis orationibus) et ἀποκρίνομαι infinitivo (III, 16) adiunctum singularitate maxime offendunt; praeterea etiam λέγω (activ.) infinitivis additum, collatis permultis iis locis, ubi enuntiatis explicativis coniunctum est, satis est rarum; invenitur autem septies vel 20, 123 addito[1]) octies in orationibus genuinis, praeterea 25, 93. 37, 6. 47, 39. 57, 46. 64. 58, 29. pr. 28, 2. IV, 3; cf. λόγον λέγω c. inf. 36, 33, ἀντεῖπον c. inf. 20, 8. 88. 24, 24; λόγος ἐστίν c. inf. 22, 25. Pleraque igitur exempla ex genuinis orationibus sumpta sunt; qua de re duobus eiusdem constructionis exemplis (57, 46. 64) argumenta ea confirmantur, quibus orationem 57. Demosthenis esse videtur comprobari. Denique repperi: πείθω ὡς 12^{ies} (et ter per ζεῦγμα enuntiatis explicativis additum), πείθω c. inf. 24^{ies}. In genuinis orationibus quattuor enuntiata explicativa undecim infinitivis respondent; quibuscum exordia conferenda sunt, ubi πείθω c. inf. decies, πείθω ὡς omnino non legitur. — A reliquis verbis supra enumeratis argumenta peti nequeunt.

b) Et enuntiatis explicativis et participiis adduntur: ἀγγέλλω, προσγράφομαι, δείκνυμι (-νύω), ἐνδείκνυμαι[2]), ἐπιδείκνυμι (-νύω), δηλῶ, δῆλός εἰμι, πρόδηλός εἰμι, ἐλέγχω, πεῖραν δίδωμι, σιωπῶ, ἀποφαίνω, φανερὸν ποιῶ, φανερὸς γίγνομαι, καταφανής εἰμι (γίγνομαι). — ἀγνοῶ, αἰσθάνομαι, εὑρίσκω, ἐπίσταμαι, θεῶμαι, θεωρῶ, μανθάνω, μέμνημαι, μνημονεύω, οἶδα, σύνοιδα, ὁρῶ, καθορῶ, περιορῶ. Cf. πρόοιδα ὅτι: πρόοιδα καὶ προακήκοα part.; οὐκ ἄδηλόν ἐστιν ὅτι: οὐκ ἄδηλός εἰμι part.; εὔδηλόν ἐστιν ὅτι: εὔδηλός εἰμι part.; λανθάνει ὅτι: λανθάνω part.

Quae inter verba haec digna sunt, quae accuratius examinentur:

α) δείκνυμι (-νύω): ὅτι vel ως 43^{ies} (cf. etiam δείκνυμι

---

1) Cf. p. 49 an. 2. 2) Cf. p. 77 an. 13.

καὶ διαμαρτύρομαι 42, 5. *δεῖγμα ἐκφέρω* 18, 291. 21, 183), *δείκνυμι* (*-νύω*) c. part. 64[ies 1]) (cf. praeterea 37, 56). In genuinis orationibus alteris altera structura praefertur; cf. or. 19. (7 *ὅτι*, 3 part.), 20. (1 *ὅτι*, 7 [8] part.); plura autem participia quam enuntiata explicativa praeter orationes genuinas in paucis tantum aliis inveniuntur, quas plerasque Demosthenis esse ex aliis argumentis cognoscitur: or. 37. 42. 57.; cf. or. 29. 34., 44. 58.; 25. III.

β) *ἐπιδείκνυμι* (*-νύω*): *ὅτι* vel *ὡς* 55[ies]; part. 64[ies] (et 21, 36. 23, 3 ex coniectura Blassii; de 53, 26 cf. p. 77 an. 10). Demosthenis orationes non omnes eundem usum dicendi praestant; sed animadverti maiorem aliquam participiorum frequentiam, qualis in or. 19. et 27. cernitur, etiam in or. 29. 45. 57. cognosci; praeterea participia in or. 39. 51. 42. 61. praevalent. Mirum autem est, quod in or. 37. quattuor enuntiata explicativa ad *ἐπιδείκνυμι* relata inveniuntur, nullum participium; sed tali aliqua fortuita exceptione haud scio an argumentum quoddam in reliquas omnes orationes quadrans non infirmetur.

Cf. *δηλῶ* 23, 60. 45, 34. pr. 12, 1 participiis adiunctum, in aliis autem ut in Apollodori orationibus non nisi enuntiatis explicativis.

γ) *ἐλέγχω* et *ἐξελέγχω* (quae verba, cum certe separari nequeant,[2]) una tractabo): *ὅτι* et *ὡς* 19[ies], part. 94[ies] (cf. *ἐλ. καὶ δείκνυμι* 19, 8; *φαίνομαι καὶ ἐλέγχομαι* 19, 101; *τὸν ἔλεγχον λαμβάνω* 33, 37. De 23, 206 cf. p. 78 an. 7). Participia Demostheni magis usitata sunt; praeterea in or. 29. 37. 45. 57. exordiis ita praepollent, ut singulis enuntiatis explicativis octona fere participia respondeant. In Apollodori orationibus plurimis enuntiationes explicativae praeferuntur; a quibus or. 46. et 47. videntur differre, cum in illa tria participia, nullum enuntiatum explicativum, in hac novem participia, unum tantum enuntiatum explicativum legantur; sed ex illis participiis octo ad passiva *ἐλέγχομαι* et *ἐξελέγχομαι* relata sunt, quibuscum enuntiata explicativa rarissime iunguntur.[3])

---

[1]) Sed 17, 16. 20, 67 fortasse numerandi non sunt; utroque loco dubium est, utrum participium quoddam (*ὄν, ὄντα*) supplendum sit necne. [2]) Cf. p. 84 an. 2. [3]) Ab aliis omnibus or. 59. discedit, in qua *ἐξελέγχω* ter enuntiato explicativo, ter participio, ter infinitivo

δ) οἶδα: ὅτι, ὡς 203^{ies} (cf. οἶδ' ἀκούων 4, 24. 23, 182. 38, 7. (6, 33), οἶδα καὶ μέμνημαι 18, 249. In illo numero illi loci neglecti sunt, ubi οἶδ' ὅτι adverbii vice fungitur; cf. p. 15 an. 2); — part. 105^{ies} (cf. οἶδα καὶ ἐξελέγξω 45, 41. οἶδα καὶ ἤκουσα 35, 35. — 4, 51, cum priori numero addiderim, hic omisi). Participia ex οἶδα pendentia et in genuinis et in dubiis orationibus leguntur; sed, veluti post δείκνυμι, ἐπιδείκνυμι, ἐλέγχω, ἐξελέγχω, sic etiam post οἶδα participia in solis fere orationibus genuinis frequentiora sunt quam enuntiata explicativa. Cum illis autem comparandae sunt: a) or. 32. 51. 57. 60. (61.) ep. IV., quae non nisi participia; b) or. 29. 34. 39. ep. III., quae plura participia quam enuntiata explicativa exhibent. Cf. or. 45., exordia. In Apollodori orationibus participia enuntiatis explicativis superari solent; v. or. 49. (4 part., 4 ὅτι), 50. (2 part., 5 ὅτι), 52. (1 part., 4 ὅτι), 53. (1 ὅτι), 59. (5 part., 2 ὅτι); quibuscum cf. or. 47. (1 part., 6 ὅτι). —

ε) Alia quoque verba, quae tamen rarius leguntur, quam ut copiosius ea persequi operae pretium sit, in genuinis maxime orationibus iisque, quas pro genuinis habere licet, participiis adiungi videmus. Singularem autem locum ὁρῶ obtinet. Quod additum est: enuntiatis explicativis 49^{ies} (cf. ὁρῶ καὶ γιγνώσκω 21, 143. ὁρῶ καὶ θεῶμαι 4, 3. σημεῖον ὁρῶ II, 18), participiis 287^{ies} 1) (cf. ὁρῶ καὶ ἀκούω 20, 65 et 55, 16). Illa 49 autem enuntiata explicativa ad duo (44, 63. 60, 2) omnia in orationibus vere Demosthenicis iisque, quae Demosthenicae ducendae sunt (or. 25. 39. 41. 45. exord. ep. II. III. V.), leguntur.

---

additum est. ἐξελέγχω c. inf. praeterea 29, 2 invenitur; cf. etiam 24, 74 p. 78 an. 8.

1) Ad discrimen inter οἶδα et ὁρῶ intercedens animum attendas. Singula participia ad illud relata binis fere enuntiatis explicativis, singula enuntiata explicativa ab hoc pendentia senis fere participiis respondent. Quod facile inde explicatur, quod οἶδα ex propria sua notione orationi obliquae adiungitur, ὁρῶ autem, cum olim non nisi „corporis oculis aliquid video“ declararet solique participio adderetur, paulatim demum notione „oculis mentis videndi“ accepta aeque atque cogitandi verba cum enuntiatis explicativis coniungebatur, sed ita ut primitiva illa notio iam sentiretur participiaque praeferrentur. Eadem de causa εὑρίσκω uno tantum loco (24, 81) cum ὅτι, 93 cum participiis copulatum est, cum μανθάνω, quod cum οἶδα conferendum est, ubique fere cum ὅτι iungatur.

c) **Et cum infinitivis et cum participiis componuntur:** *τίθημι, ἀπογράφω, ἀπολογίζομαι.* Sed ad quaestiones nostras haec verba nihil valent, nisi forte eo, quod *τίθημι* „existimo" significans praeter or. Demosthenicas in or. tantum 39. et 45. invenitur, argumenta ea, unde illas genuinas esse concluditur, augeri putas.

d) **Tres constructiones assumunt** verba *ἀπαγγέλλω, ἐγγράφω, ἐξελέγχω, μαρτυρῶ, ὁμολογῶ, ἀκούω, γιγνώσκω, πυνθάνομαι.* Ex quibus *ἀπαγγέλλω, ἀκούω, πυνθάνομαι* participiis eademque infinitivis adiuncta inter se comparari nequeunt, cum participia de iis ponantur, quae re vera facta sunt, infinitivi contra de iis, quae falsa vel incerta rumoribusque percepta sunt; exempla autem participii et infinitivi ex illis pendentium cum enuntiatorum explicativorum exemplis collata nihil proficiunt. Idem de verbo *γιγνώσκω* valet (cf. p. 47); de *ἐγγράφω* cf. p. 76 an. 1, de *ἐξελέγχω* p. 98. — *μαρτυροῦμαι* (pass.) c. part. 59, 118 legitur; *μαρτυρῶ* c. *ὅτι* (*ὡς*) 41ies (cf. *μαρτυρῶ καὶ ἐπιδείκνυμι* 40, 19), c. inf. 51ies (et 29, 31. 54, 31 ex testimoniis quibusdam ad verbum reddita. Cf. *μαρτυρῶ καὶ διόμνυμαι* 57, 22. 44). Magno numero enuntiatorum explicativorum excellunt or. 33. (3 *ὅτι*, 1 *ὡς*, 1 inf.), 47. (2 *ὅτι*, 7 *ὡς*, 5 inf.), 49. (4 *ὡς*, — inf.), 52. (2 *ὡς*, — inf.), ita ut or. 47. Apollodoro vindicandam esse novo argumento comprobetur; infinitivorum autem or. 29. (4 inf., 1 *ὡς*; cf. *ὁμολογῶ καὶ μαρτυρῶ* c. inf. 29, 52), 45. (17 inf., 1 *ὡς*), 57. (5 inf., 1 *ὅτι*, 1 *ὡς*); quibuscum cf. or. 54. (4 inf., — *ὅτι, ὡς*), unde or. 29. 45. 57. Demosthenis esse confirmatur. — *ὁμολογῶ* c. part. 21, 192. 23, 74, c. *ὅτι* (*ὡς*) 11ies, c. inf. 146ies (cf. *ὁμολογῶ καὶ μαρτυρῶ* 29, 52); enuntiatorum tamen explicativorum copia magis exigua est, quam ut quidquid ex iis colligi possit. —

Ad haec quaedam leviora addam.

6) **Accusativos pronominum reflexivorum** easdem personas quas verba dicendi vel sentiendi declarantes 24ies cum infinitivis, 22ies cum participiis coniunctos inveni (cf. pp. 58. 86). Ex his autem exemplis 20 apud Demosthenem, 2 in or. 10., reliqua pleraque in iis orationibus, quas Demostheni vindicaverim, leguntur: (37, 1), 39, 10. 10. 28. 45, 86. 57, 1. 3. 17. 19. (46.) 50. 69. pr. 44, 1. II, 1. (adde 37, 25. 55, 24, ubi libri variant, sed, cum illae ora-

tiones genuinae videantur esse, insolentiorem hanc constructionem legendam esse verisimile est). Reliqua exempla exhibentur: 33, 28. 35, 44. 40, 60. 42, 3. 44, 48. 47, 41. 48, 2. 58, 16. 32. 61, 6. Itaque cum haec constructio Demostheni prae ceteris usitata fuisse videatur, ex magno exemplorum numero or. 39. et 57. vere Demosthenicis adnumerandas esse facile putes; sed infirmum esse argumentum concedo.

7. Accusativi infinitivis subiecti in Demosthenis maxime orationibus praetermissi et a legentibus supplendi sunt; praeterea or. 39. multis exemplis huius breviloquentiae insignis est; in reliquis pauca tantum reperiuntur (cf. p. 59 sq.). Similiter apud participia accusativi non nisi in genuinis orationibus et 25. 29. 45. 57. ep. III.[1]) crebrius omissi sunt (cf. p. 86 sq.).

8. Acc. c. inf. non nisi in genuinis orationibus et 45, 10 ex verbis dicendi passivis pendent (cf. p. 59).

9. *Μέλλειν* c. inf. praes. in orationibus et genuinis et spuriis pro inf. fut. substituitur, sed *παρασκευάσασθαι* c. inf. praes. non nisi in genuinis et 45, 43. pr. 48, 1 (cf. p. 71).

10. Multa alia atque firma argumenta ad orationes genuinas a subditiciis discernendas ex verborum synonymorum quae vocantur usu accurate examinato repeti possunt; ut ex exemplis verborum *ἡγοῦμαι* et *νομίζω* supra congestis apparet, *ἡγοῦμαι* esse frequentius in Apollodori orationibus cum iisque or. 47. congruere, ab iisdem or. 45. differre; *νομίζω* contra in Demosthenis orationibus magis esse usitatum, or. autem 29. 40. 51. 57. 58. epistulas cum iis consentire; inter quas plures sunt, quas aliis de causis Demosthenis esse iudicaverim, ita ut illae ex his aliquid confirmentur. Attamen ut verborum synonymorum usu pro argumentis uteremur, illorum exempla non modo quadam ex parte, sed omnia colligenda essent; quod cum extra causam sit, plura adicere omitto.

Verum ut ea quae protuli iam computem, orationes 25. 29. 39. 45.[2]) 51. 57. prooemia, epistulas II. — V.

---

[1]) Praeterea in or. 59. tria exempla inveniuntur: 63. 67. 118; sed priora eiusmodi sunt, ut idem accusativi bis ponendi fuissent, qua de re ea silentio praeterire licebat. [2]) Ad hanc orationem, quam Demosthenis esse ex iis quae exposui maxime apparet, defendendam aliud quoddam argumentum ex usu infinitivi articulo instructi allatum est a

tot et tam gravibus ex partibus cum genuinis congruere invenimus, ut eas ipsi Demostheni vindicare non dubitem; itaque ex iis, quae de elocutione Demosthenica conscripsi, optime alia illa argumenta augentur, quae Blassius in praeclaro libro: „Die attische Beredsamkeit“ inscripto ad eas defendendas attulit. De or. 32. 37. 41. 55., quas praeterea Demosthenicas esse puto, non certe iudicaverim, cum minora sint, quae iis et genuinis orationibus communia esse cognovi. Ex reliquis or. 10. ad genuinas proxime accedit; quod tamen non miror, quoniam multa a Demosthene ipso scripta in ea latere constat; quarundam deinde proprietatum elocutionis Demosthenicae etiam or. 60. et 61 participes sunt neque vero, cum alia adversentur, genuinis videntur adnumerari posse; aliae denique modo in hac vel illa re cum veris orationibus concinunt. Ex quibus or. 47. ab eodem scriptore, a quo or. 46. 49. 50. 52. 53. 59., confectam esse multis locis apparuit; orationes autem 35. 43. 48. eidem auctori vindicandas esse frequentibus optativis (cf. p. 94), infinitivo εἶναι nunquam praetermisso, aliis[1]) comprobari videtur.

Fr. Birklein, Entwicklg. d. substantivierten Infinitivs = Schanz, Beitr. III, 1 [7], 1888, p. 66.

[1]) Cf. Fr. Birklein, l. l. p. 66.

Corrigenda.

p. 31. (tab. I.) s. ind. fut. post inf. aor. leg. 23,212 pro 23,221.
p. 32. (tab. III.) s. opt. praes. post part. aor. leg. 52,5 pro 52,2.
ibid. s. opt. fut. post part. praes. del. 52,22 cf. p. 34.
p. 52. s. v. *ἀκούω* inseras 58,50.
p. 53. s. v. *ὑπολαμβάνω* leg. 17,26 pro 17,16.
p. 55. s. v. *πιστεύω* leg. 14,24 pro 14,34.
ibid. verbum *προσδοκῶ* forte excidit; sed omnes loci, ubi cum infinito iunctum legitur, p. 66 descripti sunt.
p. 58. s. v. *φημί* leg. 58,16 pro 58,66.
p. 78. s. v. *ἐξελέγχω* inseras 47,31.

G. HAUPT:

COMMENTATIONES ARCHAEOLOGICAE IN AESCHYLUM.

Quaestiones quas in hoc libello mihi sumpsi tractandas duplex munus complectuntur colligendi quotquot monumenta ad Aeschyli tragoedias spectant, scrutandi quae ad invenienda perditarum fabularum argumenta inde efficiantur. Alterum officium inde a Welckeri memoria desertum fere ac neglectum iacet, monumenta ad Aeschylum revocare multis modis multi studuerunt. Neque tamen, in quorum censura praecipue operam consumpserunt, monumenta in Orestea fabula versata idcirco praetermittenda duxi sive paucis absolvenda, luculenta scilicet ea exempla ratus, qua ratione in fabulis illustrandis veteres usi sint. Fundamentum igitur ea praestant, unde in restituendis ad monumentorum fidem perditarum fabularum argumentis proficiscamur. Quocirca ita progrediar, ut primum ea monumenta illustrem, quae ad servatas fabulas spectent; tum ea comprehendam, quae etsi iure ad deperditas quasdam Aeschyli fabulas referuntur, tamen nihil novi doceant et ad argumenta fabularum cognoscenda minus valeant; denique de eis disseram, quae accuratiorem suppeditent notitiam fabularum deperditarum.

Initium facio ex eis monumentis, quae Orestem exhibent supplicem ad omphalum Apollinis considentem. Cuius fata etsi ad fidem Stesichorei carminis iam ante annum tertium Olympiadis LXXX ficta pictaque fuisse constat neque in operibus post Aeschylum factis Stesichoreae narrationis vestigia desunt[1]), tamen tanta erat Aeschyleae tragoediae auctoritas apud omnes, qui post eum in hoc argumento versati sunt, ut nullius fere fabulae neque Aeschyli neque Euripidis plura in monumentis vestigia videamus. Magno e numero ea potissimum elegi exempla quae ad rationem, quae inter pictorem et poëtam intercedat, perspiciendam maxime pertineant. Atque primum quidem

1) Vid. Robert, Bild und Lied p. 149 ss.

amphora Rubustina, quam publici iuris fecit Stephani Compte-rendu 1863 VI s. quam maxime accurate **Eumenidum** prologum exhibet. Cernimus Orestem gladio educto in templo ad omphalum considentem Eumenidesque quinque numero diffusas dormientes. Extra templum sacerdos perterrita effugit. Jam conferas Pythiae verba apud Aeschylum Eumen. V. 34 ss.

ἦ δεινὰ λέξαι, δεινὰ δ' ὀφθαλμοῖς δρακεῖν
πάλιν μ' ἔπεμψεν ἐκ δόμων τῶν Λοξίου,
ὡς μή με σώκειν μηδ' ἔτ' ἀκταίνειν βάσιν.
τρέχω δὲ χερσίν, οὐ ποδωκείᾳ σκελῶν.

— — — — — — — — — —

ὁρῶ δ' ἐπ' ὀμφαλῷ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ
ἕδραν ἔχοντα προστρόπαιον, αἵματι
στάζοντα χεῖρας καὶ νεοσπαδὲς ξίφος
ἔχοντα — — — — — — — —

— — — — — — — — — —

πρόσθεν δὲ τἀνδρὸς τοῦδε θαυμαστὸς λόχος
εὕδει γυναικῶν ἐν θρόνοισιν ἥμενος.

Quos versus pictorem accurate sequi videmus nullis rebus aliunde additis neque ut fit in unum confusis quae eodem tempore facta esse non possunt. Quin etiam in eo pictor ad poëtam satis accurate se applicat, quod pro tribus Eumenidibus, quo numero has deas et Argis et Athenis cultas esse constat[1]) plures inducit. Solemnem enim illum numerum augere nemini in mentem venire potuit nisi tragico poëtae, scilicet ut iustum choreutarum numerum compleret. Quem secutus est vasculi illius pictor, cum vel sarcophagorum Romanorum artifices trinum illum numerum retinerent.

Longe aliam rationem secuti sunt alterius tertiaeque amphorae, utriusque Rubustinae, pictores. Quarum altera[2]) Orestem supplicem cum gladio ad omphalum fugientem Pythiamque coniungit cum Apolline furiam repulsante. Adest etiam Diana cum fratre coniuncta. Cum primae amphorae pictor ea tantum pictura comprehendit, quae re vera eodem temporis momento

---

[1]) Vid. Mitteilungen des athen. Instituts IV 1879, tab. 9. 10. Preller-Robert Griech. Myth. I. 837, 1. Polemon fr. 41. [2]) Expressa est apud Jahnium Vasenbilder 1839, I, 1.

facta sunt, hic potius omnes prologi partes complexus simul nobis ostendere studet. Nam Apollo furiam repulsans pertinet ad Eumenidum versus 179 ss.:

ἔξω, κελεύω, τῶνδε δωμάτων τάχος
χωρεῖτ᾽, ἀπαλλάσσεσθε μαντικῶν μυχῶν,
μὴ καὶ λαβοῦσα πτηνὸν ἀργηστὴν ὄφιν,
χρυσηλάτου θώμιγγος ἐξορμώμενον,
ἀνῇς ὑπ᾽ ἄλγους μέλαν᾽ ἀπ᾽ ἐντέρων ἀφρόν.

At quo tempore haec Apollo dixit neque sacerdos neque Orestes in scaena aderant. Neglexit igitur pictor ordinem rerum, simul omnia coniunxit. Quod vero furiam per totum corpus nigram pinxit, fecit id quoque Aeschylum secutus. Illic enim Pythia perterrita effugiens Eumenidum aspectum in scaena antea inusitatum hisce verbis enarrat (V. 46 ss.)

πρόσθεν δὲ τἀνδρὸς τοῦδε θαυμαστὸς λόχος
εὕδει γυναικῶν ἐν θρόνοισιν ἥμενος.
οὔτοι γυναῖκας, ἀλλὰ Γοργόνας λέγω,
οὐδ᾽ αὖτε Γοργείοισιν εἰκάσω τύποις.
εἶδόν ποτ᾽ ἤδη Φινέως γεγραμμένας
δεῖπνον φερούσας. ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν
αὗται, μέλαιναι δ᾽ ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι.

Harpyias Phinei cenam rapientes non ut aves scilicet pingebant Graeci, quales in sepulcro illo Xanthi reperto occurrunt, sed forma prorsus humana, alis tamen instructa. Eiusdem fere quo Orestea docta est temporis specimen exstat amphora Mon. d. Inst. III 49: virgines videmus alatas veste succincta oribusque male deformatis.[1]) Quod in exemplum Aeschylus Eumenides effinxit, nisi quod alis remotis angues adiecit et totum corpus nigrum effecit.

Tertia denique amphora[2]) Clytaemestrae umbram exhibet furias suscitantem, dum Apollo coram sorore Orestem ad omphalum considentem sue lustrat. Clytaemestrae umbram e terra

---

Conferas vas Atticum antiquissimum Aeginae repertum, quod publici iuris fecit Furtwaenglerus in diario archaeologico 1882, p. 197

[2]) Overbeck: Gallerie heroischer Bildwerke XXIX 12.

emersam in scaenam prodiisse notum est. Lustratio vero Orestis neque in scaena conspecta neque omnino in prima parte fabulae commemorata est, sed ex eis pictor eam sumpsit, quae Orestes Atheniensibus supplex narrat v. 279 ss.:

μητροκτόνον μίασμα δ' ἔκπλυτον πέλει
ποταίνιον γὰρ ὂν πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ
Φοίβου καθαρμοῖς ἠλάθη χοιροκτόνοις.

Hic igitur pictor non solum diversas tragoediae partes coniunxit, sed ea quoque imagine expressit, quae in scaena omnino non conspiciebantur, sed narratione tantum exponebantur. Quid igitur? Nonne luculenter apparet, qua ratione artis monumentis ad fabulas restituendas uti possimus? Suppeditant enim imagines fabularum argumenta, ipsas fabulas non praestant. Qui compositioni fabularum operam dat inveniendae atque enucleare studet, quid in scaena conspectum sit, quid nuntiorum narrationibus diverbiisve tribuendum, cavendum ei est, ne aliis argumentis confidat quam ipsis fabulae fragmentis et scaenae usui diligenter observato.

Jam paucis comprehendam quae restant monumenta in Eumenidum argumento versata. Praetermitto magnum numerum picturarum, quae Orestem exhibent ad omphalum fugientem; quae sive accurate ad Aeschyleam fabulam sese applicant sive ad libidinem ab eo discedunt fere nihil ad nostrum studium afferunt momenti. Diligenter eas collectas enarravit Conradus Wernicke in actis archaeologicis XLII 1884 p. 199 ss. Contra sarcophagi Romani quotquot Orestis fata ad Aeschyli fidem continuato ordine narrant,[1]) Orestem exibent, qui dormientem furiam transgressus furtim ex aede Apollinis semet subducere conatur. Eandem rem cum praebeat fragmentum vasis ficti,[2]) dubitari vix potest quin ex clara aliqua pictura sive Theonis sive Timomachi haec scaena pendeat. Calculus quoque Minervae occurrit ut in vase argenteo[3]) ita in sarcophagis nonnullis marmoreis,[4]) ubi dea coram furia tabellam in urnam demittit. Sola

---

[1]) Vid. Robert, Sarkophag-Reliefs II, tab. LIV—LVI. p. 165 ss. [2]) Expressum apud Stephani Compte-rendu 1870. 1871 tab. 5 Nr. 11 p. 195. Robert l. c. p. 170. [3]) Overbeck, Gallerie heroischer Bildwerke XXIX 15. [4]) Vid. Robert l. c. tab. LV fig. 156 b. 157 a. p. 173.

Minerva cum calculo efficta est et in gemmis nonnullis [1]) et in lucernis figlinis. [2])

Jam vero sarcophagi agmen ducunt eorum monumentorum, quae e **Choephoris** Aeschyli argumentum hauserunt, quae et ipsa non sine fructu examinabuntur, ut artificum morem in poëtis illustrandis plane perspiciamus. Quippe Aeschylus Aegisthum foras vocatum fecit, ne per satellites Orestis consilium ad irritum caderet. Contra apud Stesichorum regem in solio Agamemnonis occisum esse nota quaedam quinti saeculi vasa docent. [3]) Jam inspicias quo modo in sarcophagis Romanis haec res expressa sit. [4]) Pyladem videmus qui Aegisthi a sella delapsi corpus exanimatum pallio spoliat, ut nutrici quae perterrita aversatur, regem occisum ostendat. Juxta eum Orestes conspicitur, cuius ad pedes mater necata iacet. Servus humi considens sub scabellum se condere conatur. Jam vero furiae angues vibrantes in Orestem accedunt, qui furore percussus ab earum conspectu vultum avertit. Aegisthus de solio delapsus etsi Aeschyleae fabulae vehementer repugnat, tamen furiarum ille adventus omnem dubitationem demit, quin artifex Aeschyli versus in animo habuerit, ubi Orestes cum corporibus matris ac regis in machina apparet et de facinore gloriatus furias subito conspicit. Conferas versus 1048—1051:

ἆ ἆ
γυναῖκες αἵδε Γοργόνων δίκην
φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
πυκνοῖς δράκουσιν. οὐκέτ' ἂν μείναιμ' ἐγώ.

Unum igitur illud Stesichoreum est: Aegisthus in usurpato Agamemnonis solio necatus, ex artificum quam dicunt traditione sumptus; cetera omnia Aeschylea. Habes exemplum imaginis ex duobus poëtis diversis modis pendentis. Nam ad picturae cuiusdam exemplum sarcophagorum opifices scaenam illam expressisse post

---

[1]) Cf. Caylus, Recueil d'Antiquités II pl. 43. No. 2. Overbeck, Bildwerke zum Thebischen und troischen Heldenkreis, Atlas, XXXIX Nr. 14, Eckhel, Choix de pierres gravées du Cabinet de l'Empereur à Vienne pl. 21. [2]) Cf. Caylus l. c. III pl. 39. Bellori, Le antiche lucerne sepolcrali figurate II tav. 40. [3]) Vid. Robert, Bild und Lied p. 149 ss. [4]) Cf. Robert, Sarkophag-Reliefs II, tab. LIV Nr. 155—160, p. 168 ss.

Benndorfii egregiam disputationem [1]) inter omnes constat. Nec auctor picturae latet: Theon fuit Samius. [2])

Ipsam Clytaemestrae necem secundum Aeschyli fabulam pictura Pompeiana exhibet, quae expressa est in diarii archaeologici tom. XLI 1883 tab. 9, 1. Mater mortis formidine percussa mammam detegit, qua filium quondam alebat, frustra mortem deprecata. Conferas Choephororum versus 896—898

ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἴδεσαι, τέκνον,
μαστὸν, πρὸς ᾧ σὺ πολλὰ δὴ βρίζων ἅμα
οὔλοισιν ἐξήμελξας εὐτραφὲς γάλα.

Cui picturae qui similem speciem prae se fert sarcophagus Petropolitanus (Nr. 155 apud Robertum) haud scio an non recte huic ordini adnumeretur, cum ad alius cuiusdam poëtae tragoediam eum spectare certa signa doceant. [3]) Contra haud dubie huc pertinet amphora, quae Orestem exhibet cum sorore ad patris tumulum congressum. [4]) Quam rem Aeschylum perinde ac Stesichorum narravisse constat, nisi quod Pyladem cum Talthybio Orestis comite mutavit. Stesichoream fabulam iam quinto saeculo ineunte in anaglypho figulino expressam etiam inferioris aetatis pictores secuti sunt. [5]) Nostrae vero amphorae pictor ut exemplum illud ad Aeschyli fabulam accommodaret, Orestem pinxit cum Pylade et puero quodam comite ad patris tumulum aggressum, quem Electra adornat.

Ab Orestea ad **Prometheum vinctum** transeo, quam unam praeter illam e fabulis servatis pictores spectavisse videntur. Huc rettulit Furtwaengler lapidem incisum, qui titanem exhibet cum Vulcano coniunctum. [6]) Prometheus qui immani statura

---

[1]) In annalibus instituti archaeologici XXXVII 1865 p. 224. [2]) Vid. Benndorf l. c. p. 239. [3]) Vid. Robert l. l. p. 165. [4]) Heydemann, Vasen des Museo nazionale zu Neapel. No. 1755. — Baumeister, Bilderhefte No. 280. [5]) Mon. d. Inst. VI tav. LVII. Conze in annalibus instituti archaeologici tom 1861 p. 34. Robert, Bild und Lied p. 167ss. [6]) In diario archaeologico XLIII 1885 p. 223. Gemma Odessana sine dubio eadem est, quam Eduardus Gerhardus in diario archaeologico delineandam curavit (IV 1849 tab. VI 3), de Ulixe et Philoctete iniuria cogitans. Lapis tunc Smyrnae erat. Fugit hoc Furtwaenglerum; sed etiam magis miror Blochium, qui nuper de gemma illa similiter ac Gerhardus iudicavit (Grieschischer Wandschmuck p. 35), Furtwaenglerianae disputationis prorsus immemorem fuisse.

eminet, in dextera manu scipionem gerit. Cruri sinistro vinculum circumiectum est catena rupi affixum. Bracchium sinistrum Vulcanus, cuius caput pilo tectum est, sustinet, ut id quoque ad rupem adliget. Quin ad ipsam Aeschyli fabulam scalptor spectaverit dubitari non potest, cum ante Aeschylum nullum poëtam titanem rupi affixum finxisse constet. Vinculum cruri circumiectum commemorat Aeschylus versu 74 σκέλη δὲ κίρκωσον βίᾳ. Placidum Vulcani vultum suo iure Furtwaengler rettulit ad verba

ἄκοντά σ' ἄκων δυσλύτοις χαλκεύμασι
προσπασσαλεύσω τῷδ' ἀπανθρώπῳ τόπῳ.

Sceptrum quod in scaena titan gessisse non potest, idem recte excusat ex Promethei apud Atticos cultu, vasis cuiusdam Attici (Mon. d. Inst. V 35) testimonio adiecto.

Ventum est ad ea monumenta, quae de fabulis perditis pendere videntur. Atque quae ad **Pentheum** spectant, ea in duas classes vel primo obtuto dividuntur. Altera quae praeter Romani temporis opera Atticae fabricae tantum complectitur vasa, ipsam mortem regis exhibet, qui nudus inermis a comitibus destitutus a maenadibus dilaceratur. In altera Pentheus calceatus pallioque indutus cum gladio hastisve se a Bacchi comitibus defendit. Prioris generis monumenta etsi pro figurarum similitudine ad eandem fabulam omnia pertinere videntur, ad dispares tamen narrationes spectare Paulus Hartwig [1]) intellexit. In vase enim haud integro, quod Pamphaei artem redolet, uni ex mulieribus, quae regem dilacerant, nomen Γαλήνη adscriptum est.[2]) Reliquae mulieres ut quidem nunc pictura exstat nominibus carent. Quod vero nomen Γαλήνη inter maenadum nomina non inauditum [3]) ad Cadmi filias minime quadrat, suo iure Hartwigus statuit pictorem Agaues facinus omnino nescivisse, Euripidem primum non a quibuslibet maenadibus sed ab ipsa matre dilaceratum regem indicavisse. Ad antiquiorem hanc fabulae formam referenda sunt praeter antiquissimum illud exemplum

[1]) In annalibus instituti archaeologici VII 1892 p. 153 ss. [2]) Delineandum illud curavit Hartwigus l. c. tab. 45. [3]) Hartwigus affert exemplum expressum apud Millingen, Vases Coghill pl. XIX.

patera [1]) et pyxis [2]) utraque Parisiensis. Posteriores artifices quin non antiquiorem istam fabulam sed Euripideam in mente habuerint, pro eximia laude Baccharum, quae priorum narrationum memoriam fere exstinxit, dubium esse nequit.

Magis ad nostrum studium attinet altera classis vasorum, quae ab Hartwigo aliis neglecta Aeschyleae fabulae plana et aperta signa prae se ferre videtur. Ecce monumentorum conspectum:

In patera Rubustina (Jatta 1617) Pentheus palliatus armatusque se contra duas maenades defendit, quae utrimque in eum occurrunt. Altera gladium regi intendit, altera thyrso eum ferire conatur. Vasculum expressum est apud Jahnium, Pentheus tab. Iab. — Bullett. Nap. IV tab. 2, 3. — Müller-Wieseler, Denkmäler II 426.

Pateram item Rubustinam quae nunc exstat in museo publico Neapolitanorum 2562, simillimae speciei pictura ornatam esse Hartwigus affirmat (l. c. p. 154, 2). Minervini, Mem. acad. tav. I. — Memorie della R. acad. Ercol. IX. tav. IV. — Mus. Borb. XVI tav. XI. — Heydemann, Vasen des Museo nazionale zu Neapel 2562.

Patera musei Monacensis 807 exhibet regem, qui pallio calceis pileo indutus inter arbores duas subsidet gladium strictum in manu tenens. Tres utrimque maenades in eum occurrunt. Jahn, Pentheus IIa. — Millingen, Peintures de vases pl. V. — Baumeister, Denkmäler II fig. 1396. — Jahn, Vasensammlung in München 807.

Hartwigus l. c. p. 162 etiam pateram ineditam musei in Juli Papae vinea nuper conditi huc rettulit, quam exeunte quinto saeculo ornatam esse affirmat. Crispi iuvenis caput abscissum duae maenades circumferunt gladiis armatae. In altero latere pictor easdem figuras repetiit satyris duobus adiectis. Dubitat Hartwigus ad quemnam poëtam has picturas revocet, cum Euripideae tragoediae satyri repugnent, Penthei caput abscissum cum illa faciat. Jam vero cur vasculi pictori pro mortalibus Bacchi cultoribus, de quibus apud Euripidem legimus, satyros

[1]) Expressa est apud Campana IV 638. Hartwig l. c. p. 162. [2]) Expressa apud Campana IV 761. Hartwig l. c. p. 156.

inducere non licuerit, non intellego. Sed omnino duco pateram ex hoc numero esse removendam, cum prorsus incertum sit utrum ad Penthei fata an Orphei spectet.[1]) Ceterum monendum videtur eandem dubitationem cadere in pateram Parisiensem ab Hartwigo item ad Euripidem relatam, in qua quattuor maenades cum bracchiis cruribusque abscissis sive Penthei sive Orphei circumvagantur. Nomina scilicet nulla adscripta sunt neque quae in altero latere ac in parte interiore exstant picturae ad quaestionem solvendam quidquam valent.

Neque minus segreganda est patera caelata, quam Diltheyus publici iuris fecit in diario archaeologico 1873 tab. VII 3. Virum illa exhibet procumbentem clipeoque innisum, qui gladio frustra maenadi, si quidem editori credere velimus, et pantherae repugnat. De Pentheo cogitavit Diltheyus. At non maenadem videmus, sed ipsum Bacchum. Scaenam habemus gigantomachiae, quam similem expresserunt arae Pergamenae artifices.

Restant igitur sola tria illa, quae supra enumeravi, vasa Appula, quae ab interpretibus et ipsa ad Euripidis Bacchas referri solent.[2]) Sed ipsi illi confiteri debuerunt, gladios maenadum ab Euripide alienos ultro a pictoribus additos esse. Jam maenades gladiis instructas patienter feremus, quippe quae fabulae non prorsus repugnent. Pentheum vero quod palliatum armatum pugnantem pinxerunt, cum sive nudum sive mulieri veste indutum inermem supplicem pingi fabula iuberet, haud scio quo quamvis miro consilio pictorum excusem. Inspiciamus Euripidis versus Bacch. 1111—1121:

ὑψοῦ δὲ θάσσων ὑψόθεν χαμαιπετὴς
πίπτει πρὸς οὖδας μυρίοις οἰμώγμασι
Πενθεὺς, κακοῦ γὰρ ἐγγὺς ὢν ἐμάνθανε.
πρώτη δὲ μήτηρ ἦρξεν ἱερία φόνου
καὶ προσπίτνει νιν. ὃ δὲ μίτραν κόμης ἄπο
ἔρριψεν, ὥς νιν γνωρίσασα μὴ κτάνοι
τλήμων Ἀγαύη, καὶ λέγει παρηίδος
ψαύων ʽἐγώ τοι, μῆτερ, εἰμὶ παῖς σέθεν,

---

[1]) Cf. quae infra de argumento Bassaridum disputavi. [2]) Vid. Sandys, Euripides' Bacchen. Hartwigum l. c.

Πενθεὺς, ὃν ἔτεκες ἐν δόμοις Ἐχίονος,
οἴκτιρε δ' ὦ μῆτέρ με μηδὲ ταῖς ἐμαῖς
ἁμαρτίαισι παῖδα σὸν κατακτάνῃς.

Non moror singula recensere. Apparet ne umbram quidem fabulae Euripideae affectavisse, qui pateras Rubustinas ornaverunt. In vase Monacensi rem aliquantum aliter sese habere infra demonstrabo. Veram pugnam in imaginibus illis inter Pentheum maenadesque commissam esse ex apertissimis indiciis intellegimus. Nostrum est eiusmodi fabulae apud scriptores vestigia indagare.

Sacerdotis in Eumenidibus Aeschyleis de Corycio rupe haece verba leguntur:

Βρόμιος ἔχει τὸν χῶρον, οὐδ' ἀμνημονῶ,
ἐξ οὗτε Βάκχαις ἐστρατήγησεν θεὸς,
λαγὼ δίκην Πενθεῖ καταρράψας μόρον.

Verba *ἐστρατήγησεν θεός* ut fabulae quam e Bacchis Euripideis aliisque scriptoribus novimus, vehementer repugnant ita ad eam quam in vasis invenimus narrationem vel optime quadrant. Neque secus in Baccharum prologo Dionysus praefatur v. 50 ss.

ἢν δὲ Θηβαίων πόλις
ὀργῇ σὺν ὅπλοις ἐξ ὄρους Βάκχας ἄγειν
ζητῇ, συνάψω, Μαινάσι στρατηλατῶν

unde coniecit Bruhnius Euripidem cum prologum conscriberet, de alia fabulae forma, a qua Penthei vestis mutatio aliena esset, cogitavisse, postea in ipsa fabula conscribenda in novum illud inventum incidisse. De Baccharum compositione infra data opera accuratius disseram; hic ea constringo quae ad propositum spectant. Constat ex quibus attuli argumentis ante Euripidem de pugna inter Pentheum Dionysique comites commissa narratum esse eandemque fabulam Aeschylum in Eumenidibus attigisse. Quodsi eiusdem Penthea in regis exitu versatam esse scimus [1]), in ea fabula pugnam illam prolatam esse non sine probabilitate conicimus.

Ex Aeschyli igitur tragoedia Appularum imaginum argu-

---

[1]) vid. Aristophanem in argumento Baccharum: *ἡ μυθοποιΐα κεῖται παρ' Αἰσχύλῳ ἐν Πενθεῖ.*

mentum haustum esse concludimus; qua in re nihil refert, utrum ipse Aeschylus hanc fabulae formam invenerit an, quod puto, ab aliis receptam servaverit. Nemo enim putabit vascula illa ad sexti saeculi quendam poëtam respicere. Neque tamen hac re omnis quaestio absoluta est. Nimirum cui non in mentem venit paries ille celeberrimi templi Bacchici Atheniensis, in quo Penthei exitum pictum fuisse hisce Pausaniae verbis docemur (I 20, 3): *ταῦτά τε δὴ γεγραμμένα εἰσὶ καὶ Πενθεὺς καὶ Λυκοῦργος ὧν ἐς Διόνυσον ὕβρισαν διδόντες δίκας, Ἀριάδνη δὲ καθεύδουσα καὶ Θησεὺς ἀναγόμενος καὶ Διόνυσος ἥκων ἐς τῆς Ἀριάδνης τὴν ἁρπαγήν.* Templum intra annos 420—413 aedificatum esse nuper Emilius Reisch luculentis argumentis probavit[1]) neque habemus cur non parietes statim pictos esse ducamus. Quod si pictura illa Euripidis Bacchis praecurrit, res ipsa tantum non clamat Aeschyleam fabulam artificem secutum esse. Hac de pictura maxime vascula illa Appula pendere arbitror, nisi quod paterae Monacensis pictor hoc certe de Bacchis Euripideis sumpsit, quod inter arbores latentem Pentheum pinxit. Aeschylum igitur hic cum Euripide eodem modo coniunctum videmus velut in Theonis tabulis cum Stesichoro (vid. supra p. 111).

Monumenta quae Aiacis mortem exhibent nullo iure ad Aeschyli **Thracias mulieres** referri, cum iam Arctinum eam narravisse constet[2]), recte in universum Vogelus contendit.[3]) Potuit is adicere iam in crateribus Corinthiis idem argumentum occurrere.[4]) Attamen fugit illum aliqua certe vascula exstare, quae accurate cum ea fabula consentiant, quam Aeschylo propriam fuisse scimus. Narrat enim interpres ad Sophoclis Ai. 933; *κατὰ τὸ ἄλλο σῶμα ἄτρωτος ἦν ὁ Αἴας, κατὰ δὲ τὴν μασχάλην τρωτὸς διὰ τὸ τὸν Ἡρακλέα τῇ λεοντῇ αὐτὸν σκεπάσαντα*

---

[1]) in Eranos Vindobonensis p. 1 ss. Vel de maiore imaginum vetustate cogitavit Milchhoeferus in annalibus instituti archaeologici XI p. 82, nimis quidem infirmo fundamento nixus. [2]) vid. schol. ad Pind. Isthm. III 53. schol. ad Il *Λ* 515. Robert, Bild und Lied p. 223. [3]) in libro: Szenen Euripideischer Tragödien in griechischen Vasengemälden p. 12. [4]) Exempla expressa sunt Mon. d. Inst. VI 33 et Archaeolog. Anzeiger 1891 p. 116.

κατὰ τοῦτο τὸ μέρος ἀσκέπαστον ἐᾶσαι διὰ τὸν γωρυτὸν ὃν περιέκειτο· φησὶν δὲ περὶ αὐτοῦ Αἰσχύλος ὅτι καὶ τὸ ξίφος ἐκάμπτετο οὐδαμῇ ἐνδιδόντος τοῦ χρωτὸς τῇ σφαγῇ, τόξον ὥς τις ἐντείνων, πρὶν δή τις, φησί, παροῦσα δαίμων ἔδειξεν αὐτῷ κατὰ ποῖον μέρος δεῖ χρήσασθαι τῇ σφαγῇ. Ita igitur Aeschylus rem instituit, ut per longum tempus frustra Aiax gladio se occidere conaretur, cum corpus vulnus respueret. Quodsi in pictura Etrusca[1]) Aiacis iam morte defuncti corpus videmus compluribus ictuum notis affectum neque uno vulnere cruentatum, apparet pictorem hoc modo cassos illos conatus significarc voluisse et adsentimus Heydemanno, qui ad Aeschyleae fabulae fidem picturam effictam esse contendit (l. l. 61).

Deinde in amphora Palermitana[2]) Aiax ante ferrum humo infixum consistit coram Minerva, quae arieti occiso pedem imponit. Ab altera parte Charon, qualem artifices Etrusci eum fingere solent, appropinquat. Minervam, quae cum ab Aiace animadverti non videatur, invisibilis esse debet, ad priorem fabulae partem spectare eodemque arietem, unum scilicet ex pecudibus ab Aiace furente occisis respicere non sine probabilitate statuit Heydemannus. Tum vero necesse est Charonem in hac pictura mulieris illius vices gerere, quae Aiaci illam corporis partem indicat, quae vulnus suscipere possit. Hoc enim ipsa scholiastae verba docent Aeschylum scripsisse *πρὶν δὴ παροῦσα δαίμων* neque video quo iure Weckleinius traditam lectionem in *πρὶν δὴ παρών τις δαιμόνων* mutare ausus sit. Nimirum usque ad *παροῦσα δαίμων* ipsa verba poëtae adscribuntur, tum autem clausula enuntiati aperte his verbis circumscribitur *ἔδειξεν αὐτῷ κατὰ ποῖον μέρος δεῖ χρήσασθαι τῇ σφαγῇ.* Id quod vel ipsum Hermannum fefellit, qui ut nuper Weckleinius *ἔδειξεν αὐτῷ* Aeschyli verba esse ratus ita fragmentum restituere conatus est:

πρὶν δὴ παροῦσα δαιμόνων τις εὐφρόνως
ἔδειξεν αὐτῷ

feminino tamen genere, ut decebat, conservato. Dea illa quaenam fuerit nescire nos sane dolendum est; at cur nesciamus aut cur

---

[1]) Expressa in Mon. d. Inst. II 8 *A* et apud Overbeck, Gall. her. Bildwerke XXIV 2. [2]) cf. Heydemann in Diario archaeologico 1871 p. 46.

Aeschylus nomen deae non addiderit in propatulo est. Verba scilicet sunt nuntii. Quem sive militem exercitus Argivorum sive pastorem quendam fuisse fingimus, qui in ripa latens nec prae ducis furentis timore propius accedere ausus mortem eius observaret, profecto numinis illius nomen misisse consentaneum est. Neque divinare possumus, quo modo postea spectatores de nomine eius edocti sint. Quae cum ita sint vel de ipsa Minerva cogitari potest. Quod si quis statuerit, etiam de amphora illa Etrusca paullo aliter iudicandum erit, nimirum Charonem utpote mortis appropinquantis imaginem ab ipso artifice additum esse, Minervam cum Aiace loqui eique fatalem illam corporis partem indicare. Sed utrumvis statuatur, id certe evicisse mihi videor amphorae illius imaginem rectius ad Aeschylum quam ad Sophoclem referri, neque casu factum esse puto, quod iterum in Etrusco opere fabulae Aeschyleae vestigia deprehendimus.

Tertium vasculum, et ipsum Etruscum, quod Heydemannus l. l. p. 61 delineandum curavit, consulto neglexi. Nam et antiquius est quam quod a tragoedia pendere possit, et mulier, quae ibi ad morientem heroem accurrit, non pro dea aliqua, sed pro Tecmessa habenda est, id quod iam Heydemannus statuit.

In **Phrygibus** constat Aeschylum Hectoris corpus auro expensum fecisse, cui inventioni ansam praebebant verba illa, quibus Achilles apud Homerum Hectora morientem increpat postulantem ut corpus post mortem parentibus tradatur: *οὐδ᾽ εἴ κεν σ᾽ αὐτὸν χρυσῷ ἐφύσασθαι ἀνώγοι Δαρδανίδης Πρίαμος*. Hanc fabulam secuti et amphorae Tarentinae[1]) pictor et opifices Romani[2]) Hectora expresserunt libra examinatum eademque imagine Virgilius fingit Junonis templum Carthaginiense ornatum (Aen. I 484). Quod in sarcophago Ephesio Andromacham cum Astyanacte et Hecubam adiectas videmus, id

---

[1]) Exemplar expressum est Mon. d. Inst. V 11. Copiosius de amphora haud integra disputaverunt Benndorf in Annalibus Instituti 1866 p. 249 ss. Petersen in Diario archaeologico XXXVII 1879 p. 16. Robert, Bild u. Lied p. 96. 142. [2]) cf. poculum argenteum Raoul Rochette Mon. inéd. 52. Overbeck Gall. her. Bildw. 12 et sarcophagum Romanum Woburn Abbey (Robert, Sarkophag-Reliefs II 47 c).

ad Aeschyleam tragoediam referendum non esse **Robertus** monuit (Sarkophag-Reliefs II p. 61).

Ad **Sphingem** fabulam satyricam acute rettulit Crusius[1]) paterae picturam, quae silenum exhibet, qui Sphingis acumen tentat, vivamne an mortuam avem rogans in manu detegat. Ambigua nimirum quaestio est, nam si Sphinx mortuam dixerit, silenus ostentabit vivam; sin vivam, complectendo necabit avem silenus, priusquam manum aperiat.

Transeo ad ea monumenta, quae nova et graviora de deperditis fabulis nos docere videantur, ad Prometheum solutum, ad Nioben, ad Lycurgeam spectantia. Atque ut a **Prometheo** incipiamus, iam dudum constat et a Milchhoefero[2]) luculenter expositum est omnia ea monumenta quae Prometheum ad Caucasum vinctum demonstrant, ex Aeschyli tragoedia pendere, cum ante eam Prometheus ad palum vinctus Hesiodo auctore dictus atque hoc modo in antiquioribus vasis pictus sit.[3]) Commemoro Panaeni in templo Jovis Olympii picturam (Pausan. V 11, 6), quo nullum exstat antiquius exemplum, quanta Aeschylus auctoritate in artifices fuerit; deinde inter ea quae nobis servata sunt monumenta egregium illud opus marmoreum in arce Pergamenorum erutum, parietes Pompeianos, sarcophagos denique Romanos. At multo ampliora et graviora suppeditant duo specula Etrusca.[4]) Alterum Prometheum vinctum inter Herculem et Apollinem exhibet; alterum, quod multo elegantiorem prae se fert stilum, solutum cum Hercule et Castore coniungit. Prometheus, qui salice coronatus est, anulum a Castore accipit. Aquila deiecta ante Herculis pedes iacet. Nomina figurarum in utroque speculo adscripta sunt. Quae monumenta re vera ad Aeschyli Prometheum solutum referenda esse priusquam ostendam, nonnulla quae aliunde de hac fabula comperta habemus, breviter percensebo.

---

[1]) Commentationes in honorem Joannis Overbecki p. 102 ss.
[2]) Berliner Winckelmannsprogramm 1882. [3]) vid. Hubert Schmidt Observationes archaeologicae in carmina Hesiodea. Diss. phil. Hal. XII.
[4]) Vorlegeblätter D X 4, 5.

Constat igitur in hac fabula Herculem aquilam deiecisse, id quod in scaena vel ut rectius dicam in orchestra factum esse et per se patet et verba confirmant, quibus ille Apollinem appellat sagittam missurus (fr. 200). Eundem ipsum Titanem catena liberavisse Apollodorus narrat II 5, 11, 10 *καὶ τὸν Προμηθέα διέλυσε* (sc. *Ἡρακλῆς*) *δεσμὸν ἑλόμενος τὸν τῆς ἐλαίας, καὶ παρέσχε τῷ Διὶ Χίρωνα θνήσκειν [ἀθάνατον] ἀντ' αὐτοῦ θέλοντα*; Hyginus, fab. 144 „hanc aquilam post triginta annos (l. ‚triginta milia annorum' coll. Astr. II 15) Hercules interfecit eumque liberavit"; Paus. V 11, 6 *λέγεται γὰρ δὴ καὶ τόδε ἐς τὸν Ἡρακλέα, ὡς ἀποκτεῖναι μὲν τὸν ἀετὸν, ὅς ἐν τῷ καυκάσῳ τὸν Προμηθέα ἐλύπει, ἐξέλοιτο δὲ καὶ αὐτὸν Προμηθέα ἐκ τῶν δεσμῶν.* Quorum cum testimoniis consentit gravissimus auctor ipse Aeschylus in Vincto, ubi Herculem se esse soluturum satis plane Titan praefatur v. 769 s:

ΙΩ. τίς οὖν ὁ λύσων σ' ἐστὶν ἄκοντος Διός;
ΠΡ. τῶν σῶν τιν' αὐτὸν ἐκγόνων εἶναι χρεών.

Quo modo Herculis partes in liberando Titane circumscriptae fuerint infra disputabo. Quod vero Jo miratur atque ipse Prometheus et hic tacite concedit et aliis locis certe affirmat[1]) invito Jove liberationem factum iri, id in Soluto profecto aliter evenisse constat. Neque enim sine Jovis consensu Prometheum solutum esse et per se consentaneum est et eo confirmatur, quod quas conditiones liberationis Juppiter in Vincto tulit, eis in Soluto Titanem subisse certa testimonia prostant. Nempe quae in Vincto Mercurius dicit v. 1026 sqq

τοιοῦδε μόχθου τέρμα μή τι προσδόκα,
πρὶν ἂν θεῶν τις διάδοχος τῶν σῶν πόνων
φανῇ, θελήσῃ τ' εἰς ἀναύγητον μολεῖν
Ἅιδην κνεφαιά τ' ἀμφὶ Ταρτάρου βάθη

ei condicioni in Soluto satisfactum esse Apollodorus docet l. l. *καὶ παρέσχε* (*Ἡρακλῆς*) *τῷ Διὶ Χίρωνα θνήσκειν [ἀθάνατον]*

---

[1]) cf. imprimis versus 989 sqq.

οὐκ ἔστιν αἴκισμ' οὐδὲ μηχάνημ' ὅτῳ
προτρέψεταί με Ζεὺς γεγωνῆσαι τάδε
πρὶν ἂν χαλασθῇ δεσμὰ λυμαντήρια.

ἀντ᾽ αὐτοῦ θέλοντα. Neque minus oraculum illud a matre acceptum Titanem ad id tempus vinctum patefecisse luculentus testis exstat Philodemus in libro de pietate scripto (p. 41 apud Gomperzium): *καὶ τὸν Προμηθέα λύεσθαί φησιν Αἰσχύλος ὅτι τὸ λόγιον ἐμήνυσεν τὸ περὶ Θέτιδος, ὡς χρεὼν εἴη τὸν ἐξ αὐτῆς γεννηθέντα κρείττω καταστῆναι τοῦ πατρός.* Herculem nimirum liberatorem suum fore Prometheus sciebat; quod utrum invito Jove an consentiente eventurum esset Tellus filio non indicaverat.

A Bassaridibus Orpheum dilaceratum esse Eratosthenes testis est; e Bassaridibus chorum constitisse titulus fabulae indicare videtur. Quod vero nullo modo eodem tempore et Orpheus et chorus a scaena abesse potuerunt, poëta in ipsa scaena vatis mortem demonstrasse videtur. Quod duplici modo institui potuit, cum aut inde a prologo scaena in Pangaeo collocaretur, aut prima pars fabulae ante domum regiam doceretur, tum vero scaena in solitudine esset. Atque re vera

Orphei mortem in ipsa scaena Aeschylum spectatoribus ante oculos ponere potuisse minime negaverimus, si meminerimus, qua ratione vel Sophocles in Aiace rem instituerit. Verumtamen chorum in ulla tragoedia hoc modo actorum munus suscepisse ac vi et armis rem disceptavisse, ut mihi persuadeam vix animum induco. Immo si Bacchas Euripidis consulimus, quas multis modis a Lycurgea pendere iam supra intelleximus, alia via nobis aperitur. Nimirum ut Euripides Bacchas Asiaticas, ex quibus chorus constat, a Bacchis Thebanis, quae Pentheum dilacerant, distinguit, ita statuimus apud Aeschylum chorum e Bassaridibus Asiaticis constitisse, quae cum Orpheo de Apollinis vero nomine atque persona disputarent, Thracias vero Bassarides, quae item ac Thebanae mulieres divino furore corruptae per Pangaeum baccharentur, vatem a scaena remotum discerpsisse. Nomen certe nullam difficultatem habet; nam *βασσάρας Λυδίας* Dionysi in Edonis Lycurgus irriserat, eisdem autem *βασσάραις* etiam Bacchas Thracias vestitas fuisse Etymologico Magno edocemur p. 195, 5 *λέγονται βασσάραι χιτῶνες, οὓς ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι βάκχαι.* Totam igitur fabulam ante domum regiam doctam esse puto, Orphei mortem spectatores et chorum e nuntii ore comperisse.

Haec fere sunt quae de Bassaridum scaena atque argumento non sine probabilitate statuere posse mihi videor; quae his subiciam coniecturas esse concedo nondum satis confirmatas. Eratosthenes narrationem de Orpheo supra exscriptam ita concludit *αἱ δὲ Μοῦσαι συναγαγοῦσαι* (sc. *τὰ μέλη*) *ἔθαψαν ἐν τοῖς λεγομένοις Λειβήθροις,*[1]) quae verba cur ad alium fontem quam antecedentia referamus non habemus et nostro iure conicimus Musam in fine fabulae mortuum filium dolentem processisse. In eandem coniecturam Maassius incidit Rhesi exitu collato.[2]) At haud scio an ampliora excutere liceat. Constat enim praecipuum locum in fabulis de Orphei nece tenuisse narratiunculas de fatis capitis abscissi, quae in alium modum ab aliis narrabantur. Cuiusmodi fabellas iam

---

[1]) Recte nimirum Maassius monet (Orpheus p. 135) *τὰ Λείβηθρα* ad Pangaeum montem sita fuisse, ubi Orpheus divinis honoribus colebatur; cf. Himerius Or. XIII, 4. [2]) Maass Orpheus p. 139.

ante IV. saeculum propagatas fuisse pictura Attica exeuntis quinti saeculi[1]) docet Orphei caput vaticinatum continens; iuvenis quidam oracula tabellae inscribit, Apollo Orpheo adstat.[1]) Haec si cum Eratosthenis loco allato conferimus coniectura se nobis inculcat apud Aeschylum in fine fabulae, cum iam spectatores a nuntio quodam sive comite Orphei sive pastore, qui ex latebra Orphei necem spectavisset, de facinore certiores facti essent, Musam cum filii capite abscisso progressam narravisse, quomodo filii membra per silvas dissipata cum sororibus indagavisset, ne sepultura vates careret, tum divinos honores mortuo praefatam esse. Quae si re vera ita se habuerunt, apparet Aeschyli exemplo Euripidem usum esse, cum Agauen cum Penthei capite in scaenam produceret. At vereor ne nimis cupidus videar Euripidis artes ad Aeschylum referendi.

Affirmavit Furtwaenglerus praeter eius quam modo commemoravi paterae pictorem alios quoque artifices ex Aeschyli Bassaridibus argumenta hausisse.[2]) Quippe cum neque sexti saeculi neque ineuntis quinti ulla monumenta Orphei fata demonstrent, post bellum Persicum autem idem argumentum vel maxime placuisse videatur, Aeschyli tragoediam ansam dedisse Orphei fata pingendi opinatur. Iam videamus num ipsae picturae hanc opinionem commendent.

Initium facio ex amphora Berolinensi Celae effossa, quam Furtwaenglerus l. c. diligenter delineandam curavit atque ingeniose explicavit. Orpheum cernimus cum lyra in rupe sedentem Thracesque cantu eius delectatos: vatem palliatum, Thraces ἀλωπεκῇ et ζειρᾷ indutos artifex effinxit. Cui picturae facile intellegitur nihil inesse, quod ad certam quandam tragoediam spectet, neque magis ad Aeschylum quam aut ad nullum aut ad omnia de Orpheo carmina ea revocari potest. Neque minus liquet de altero genere vasorum, quae Orpheum exhibent a feminis interfectum.[3]) Quae cum omnia in eo consentiant, quod vatem effingunt lyra, cuius fides iam conscissae sunt, mulieres propulsantem, licet sane hanc rem ad carmen

[1]) Bull. Nap. n. s. VI 4, 1. Minervini p. 33. Furtwaengler 50. Programm zum Winckelmannsfeste, Berlin 1890, p. 163 s. [2]) l. c. p. 154 ss. [3]) MDJ I 5, 2. — Gerhard Trinksch. u. Gef. II J 1. — ibidem II J 3.

quoddam referamus. Etsi ne id quidem omni dubitatione exemptum est, cum pictores, qui Orpheum fidibus canentem fingebant a mulieribus oppressum, necessario fere in hoc inventum incidere deberent. At utut haec res se habet, ab Aeschylo utique maior picturarum numerus prorsus discrepat, quod omnino non a Bassaridibus vatem dilaceratum demonstrant, sed a quibusvis mulieribus, quae Bacchici cultus nullum insigne habent, instrumentis domesticis interfectum. Neque igitur putabimus neglegenter pictores Bassarides effinxisse, cum picturae accurate in eas fabulas quadrent, quae vatem a Thraciis mulieribus nescio qua de causa iratis interfectum dicunt. Idem de iis picturis valet, quae Orpheum inter Thraces canentem exhibent, dum iam mulieres accurrunt ad necem paratae.[1])

Contra in amphora apud Gerhardum Trinkschalen und Gefässe II J 3 expressa duae mulieres lapides in Orpheum coniciunt, quarum cum altera *νεβρίδι* induta sit, fieri potest ut ab Aeschyli fabula pictor pendeat. Quamquam dubitationem movet eques quidam Thrax, qui hasta Orpheum defendere conatur. Idcirco licet sint Bassarides, quas in pictura mulieres videmus, Aeschyleam tamen fabulam pictor aut omnino illustrare noluit aut suo Marte mutavit.

Ipsas igitur picturas intelleximus Furtwaengleri opinioni minime favere. Neque sane est, quod miremur paullo post Lycurgeam doctam in vasis Orphei fata pingi coepta esse, cum antea pictores in hoc argumento non versati esse videantur. Nimirum Orpheus non quod ab Aeschylo in scaenam productus est apud Athenienses adeo clarus fieri coepit ut pictores quoque huic fabulae illustrandae studerent, sed quod post Cimonis expeditionem Thraciam cum aliae locorum illorum fabulae, tum Orphei mythus magno apud Athenienses favore colebatur, et Aeschylus et pictores eodem fere tempore in eius fata narranda incubuerunt. Itaque quae ex Aeschyli Bassaridibus pendeant nulla monumenta scio.

Tertiae fabulae, quae **Neanisci** inscribitur, fragmenta tam exigui momenti sunt, ut neque de scaena neque de ipso argumento quidquam inde doceamur. At cum ex eis, quae de

[1]) Raoul Rochette Mon. in. 13, 14. — Arch. Ztg. 1868, 3.

Edonis et de Bassaridibus disputavimus, satis eluceat in neutra fabula insaniam Lycurgi locum habuisse, tertiam fabulam ad eius poenam pertinuisse vel sponte patet. Iam igitur a longiore hac disputatione, quae fere tota in fragmentis explicandis versata est, tandem aliquando ad artis monumenta nos convertamus, quippe quae uberrimam copiam huius argumenti indagandi praebeant. Neque tamen omnes imagines, quae ad Lycurgum spectant, nobis tractandae erunt. Nam cum aliae Bacchum exhibeant a Lycurgo fugatum marisque in litore a Thetide receptum, aliae regem, qui dum Ambrosiam Baccham necare conatur vitibus implicatur, aliae denique eundem insania captum uxorem filiumque occidentem exprimant, duae priores classes a nostro studio removendae sunt, quippe quarum altera ab Homero, altera a recentiore quodam poëta pendeat; in tertia sola classe scaenae vestigia patent atque hoc unum dubium est, utrum ad Aeschylum an ad recentiorem quendam poëtam eam referamus.

Agmen ducat amphora Rubustina (A) in Annalibus Instituti 1874 tav. R expressa. Aedificium videmus, cuius inter columnas Lycurgus filium praecipitatum bipenni interfecturus est. A dextra parte mulier quaedam terrore percussa fugere conatur, retro tamen verso ore, ut quamvis fugiens fugere non posse videatur. Patera ei ex dextra manu delabitur, quam ad ritum sacrum pertinere ramuli laurei myrteique docent. Huic mulieri ab altera aedificii parte vir quidam respondet barbatus ornateque vestitus, quem venatorem esse canis indicat; dextra manu hastas tenet, altera vultum tegit summo dolore demissum. Denique in tecto os humerosque mulieris videmus, quae dextram manum deorsum intendit. Pallium ventu intensum supra caput eius sinuatur. In altero vasis latere Bacchus cum duobus satyris conspicitur.

Sequitur testa amphorae Appulae (B), quam publici iuris fecit Treuius Arch. Anz. VI, 1891, p. 24. Haec quoque pictura aedificium exhibet, cuius ex foribus rex insanus se proripit. Is in dextra manu bipennem vibrat, in sinistra eum vitem gessisse Treuius censet. Re divina regem occupatum fuisse fasceae indicant, quae a zona dependent. Hinc et illinc singulas mulieres fugientes videmus, plures vero figuras olim in integro vasi exstitisse certum est.

Contra in amphora Rubustina C — MdJ V 23 (vid. tab. III) sicut in reliquis omnibus monumentis, quae nunc recensebo, aedificium deest. Lycurgus bipenni armatus necem coniugi prolapsae minatur. Furia alata devolat, quae magno fulgore circumfluxa flagellum in regem intendit. A dextra parte filium necatum adulescens quidam et virgo deportant, a sinistra alius iuvenis cum paedagogo accedens magno ardore regem obsecrat, ut insano facinore desistat. Ara igni imposito adiecta est, hydria iuxta eam humi iacet. In superiore basis parte Apollo cum lyra supra aram considet, laurea longos capillos ornatus, dextramque dolore commotus ad caelum effert. Iuxta eum Mercurius adstat absque altera parte Mars considet hasta innixus, cum Nympha quadam, ut videtur, locutus.

Deinde in amphora Neapolitana 2874 (D) — Millingen Peintures de vases 1. 2; Zoëga Abhandlungen ed. Welcker tab. I 1 — item ac in C Lycurgus uxorem prolapsam interfecturus est, filius iam necatus a virgine quadam sustinetur, furia regem incitat. Laurus Apollinis maenasque in superiore parte picta Dionysi numen indicat. Pro Nympha in B Faunum inter rupes considentem videmus.

In amphora Monacensi 853 (E) — Millin Descr. des tomb. de Canose p. 42 no. 4; Zoëga l. c. tab. I 3 — Lycurgus non bipenni sed gladio armatus uxorem sustinet iam interfectam. Furia etiam nunc anguem in eum vibrat, Dionysus a sinistra procedit. Mercurius ut in C in rupe sedens casum regis prospectat; filius omissus est.

Longe aliam speciem prae se fert amphora Neapolitana 3219 (F) — MdJ IV 16; Roscher Myth. Lex. p. 2198. Regina deae cuiusdam, Cotyttus scilicet, simulacrum complexa amentem coniugem effugere conatur. Lycurgum bipenni eam aggressum iuvenis quidam abripere studet a tergo regem amplexus. Ab altera simulacri parte furia decedit. Dionysus cum suis adest, tauri femur abscissum humi iacet.

Brevius fabulam constringit pictura vasis G — Mus. Borb. 13, 29; Roscher Myth. Lex. p. 2195. Lycurgus nomine adscripto notatus filium genibus innixum bipenni necat. Simillimum monumentum (H) commemorat Koerte Specula Etrusca

p. 143, 2 „das Relief eines Goldringes, welches den seinen Sohn mit der Axt tötenden Lykurgos darstellt."

In amphora marmorea Corsini (I) — Gori Mus. Etrusc. I 15; Zoëga l. c. II 6; Welcker Antike Denkmäler II 3, 8 — Lycurgus inter magnum numerum ebriorum bacchantum gladio uxori instat, quae ad statuam Apollinis puerili admodum aetate effícti fugit.

Denique sarcophagus Romanus Matteianus (L) — Matz-Duhn 2269 — reginam ab insano coniuge necatam exhibet vel potius olim exhibuit; nam nunc quidem regina in imagine haud integra non exstat. Reficiendum nimirum opus est ad speciem sarcophagi Borghesiani (Zoëga Abhandlungen I; Roscher Myth. Lex. p. 2201 s.), in quo Lycurgus a furiis irritatus Ambrosiam bipenni necaturus est, dum vites iuxta eam prosiliunt. In nostro opere non Ambrosiam sed reginam desiderari filiolus Lycurgi docet, qui genua patris amplexus a matris nece eum abstinere conatur.

Primo obtutu satis diversa haec monumenta esse videntur, ut vel num ad eandem fabulae formam ea referenda sint dubitari possit. Certe diversa furoris momenta in eis videmus, nam in C et D Lycurgus filium iam necavit, uxorem necaturus est; in A filium occidit, dum mulier quaedam effugit; in F uxorem ad deae simulacrum effugientem occidit, in E mortuam in bracchiis sustinet; in B facinore iam confecto foras se proripit. In E et F filius deest; sed in promptu interpretatio est eum iam occisum et a servis ablatum esse, id quod in C fieri videmus. Regina in S et H propter spatii angustitatem omissa est; mulier in A num regina sit an potius canephorus quaedam infra perscrutabor. Apparet igitur omnes quas adhuc enarravi discrepantias temporis discrimine facile excusari posse neque quod in F Cotyttus simulacrum, in I Apollinis statuam videmus, obstat, quin monumenta ad eandem originem referamus. Sed levioribus his differentiis praetermissis quae communia sunt vasis — nam missos facio ad tempus sarcophagos — satis multa ac gravia inveniuntur. Atque primum quidem filium videmus in omnibus vasis ante matrem necari; Lyssam a caelo delapsam in A C D regem instigare — nam mulierem in tecto in A Lyssam esse reliquis monumentis collatis patet —, Lycurgum denique, id

quod summi momenti esse puto, insania capi, dum rem sacram facit. Nam hoc indicat patera, quam ramis myrteis ornatam mulier in A gerit, fasceae sacrae a zona regis dependentes in B, ara, cuius in superficie flamma incensa est, et hydria humi iacens, qua aquam sacratam ad *χέρνιβας* destinatam contineri apparet, in C. Itaque hunc fere in modum argumentum illud quod pictores ante oculos habuerint, restituamus: ad aram stabat Lycurgus coram familia deo cuidam sacrificaturus; iam victima adducebatur et rex bipennem in manu tenebat, qua taurum immolaret, cum repente Lyssa occurrens regem stimulo instigavit, ut mente alienatus bipenni ipsum filium uxoremque occideret. In propatulo esse videtur regem mente obcaecatum filium pro hostia habuisse, velut Agaue Pentheum tamquam leonem dilacerat, Pentheus taurum pro Lydo vexat, Agamemnon cervam pro filia necat. Attamen et Hyginus, quem satis simile argumentum protulisse infra videbimus, narrat Lycurgum filium uxoremque pro vitibus habuisse, quas cum excidere vellet, regem familiam occidisse, et in amphora B rex domo se proripiens vitem in manu tenet. Quae vestigia si sequimur, id quoque cogitari potest, vites repente iuxta aram prosiluisse, cum iam rex bipennem teneret, quo aspectu barbarum de infesti dei potestate admonitum furere coepisse et cum vitibus simul filium quoque et uxorem percussisse.

Haec omnia tragoediam redolere apparet, quae prorsus similiter ab hac quidem parte instituta fuerit necesse est atque Herculis Euripidei media pars v. 823—1015. Lycurgus cum ad sacrificandum regiam introisset, Lyssa in machina processit[1]) comite Mercurio, quem in C et E videmus. Mercurii munere apud Euripidem Iris fungitur, cum Iunonis iussu Lyssa Herculem accedat. Lyssa postquam choro indicavit a quo et quo consilio missa sit, in regiam penetrat. Sequitur chori canticum quod filii morientis clamore interrumpitur. Tum e regis familia quidam procedit, ut Lycurgi casum enarret. Cum in A mulierem, quae pateram antea tenuerat, fugientem cernamus et in B altera utique mulier item ac rex domo se proripere videatur, cane-

---

[1]) Nimirum ad scaenae exemplum pictor amphorae A Lyssam in tecto collocavit.

phorum quandam hoc munere functam esse verisimile est. Quae omnia ut necessario e monumentis coniciuntur, ita accuratissime cum fabula Euripidea consentiunt neque ullo pacto fieri potest, quin altera fabula ad alterius exemplum instituta sit. Neque quae tragoedia prior docta sit post egregiam Wilamowitzii disputationem de Hercule Euripideo dubium esse potest. Ille enim docuit nimis artificiose Euripidem insaniam Herculis cum sacrificandi condicione coniunxisse,[1] cum heroa rem sacram interrumpentem faceret, ne ante Eurysthenis filiorumque eius ultionem frustra manus lustraret. Pro quibus ambagibus in Lycurgea illa fabula iustum et simplicem modum servatum fuisse apparet; nam sive pro victima sive pro vite rex filium necavit, utique insanae regis cogitationes aptissime cum tota rerum condicione cohaerebant. Tum animadvertas ne id quidem ab Euripide satis circumspecte inventum esse, quod Hercules sagittis clavoque filios suos occidit; rectissime enim Wilamowitzius interrogat qui fieri potuerit, ut Herculi in re sacra facienda arma praesto essent, quibus liberos occideret. Contra Lycurgus bipenni filium necat, quam ad hostiam immolandam iam antequam in furorem incidit in manu tenebat. Quibus de causis adducimur ut nostro iure statuamus non tragoediam illam, ad quam monumenta spectant, ad Herculis Euripideae exemplum compositam fuisse sed Euripidem eam imitatum et ut exemplum superaret ad artificiosa illa inventa delatum esse. Tenemus igitur Lycurgeam quandam ante a. 424 doctam, ante quem annum Herculem doceri potuisse Wilamowitzius negat, in IV. saeculo ab artificibus saepenumero lineis circumscriptam esse neque Romanis quidem ignotam fuisse. Quam tragoediam Aeschyli Neaniscos esse cum sponte patet — neque enim de Polyphradmonis Lycurgea quisquam cogitabit — tum certa indicia confirmant. Nam quod Apollinem in C supra aram considentem videmus et in I regina ante Apollinis simulacrum occiditur et in D laurus depicta est, dubium esse nequit, quin Lycurgus Apollini fuerit sacrificaturus, cuius dei quantae partes in Aeschyli Lycurgea fuerint supra satis ostendi. Quod pictor amphorae F reginam ad Cotyttus simulacrum fugientem

[1]) Euripides' Herakles II² p. 204 s.

facit, haud scio an Edonorum illo in prima fabula cantico recordatus sit, in quo Cotytto commemoratur. Nullo autem pacto inde colligere licet illi deae Lycurgum sacrificavisse.

In tertia igitur tetralogiae fabula Aeschylus ad Lycurgi fata rediit. Rex cum de Orphei nece iratus neque tamen Apollinis numini diffidens suo deo sacrificare vellet, sibi ipsi familiaeque perniciem comparavit. Praeter regem, Mercurium, Lyssam, nuntium quae personae in scaenam processerint, nescimus, cum certa testimonia desint. Reginam in prima parte fabulae processisse non solum ex Herculis Euripideae comparatione verisimile est, sed etiam pro scaenica arte tantum non necesse esse videtur. Filium puberem non fuisse, qualem picturae ostendunt, sed infantem in propatulo est. Quod pictores in hac re suae artis modum condicionemque magis spectaverint quam fidem minime offendit neque vero omni testimonio coniectura destituta est, cum in sarcophago Matteiano infantem filium videamus. Restat ut paucis dicam de venatore illo in A, qui dextra ad oculos elata vehementer lugentis speciem praebet. Ipsi sacrificio regisque insaniae hominem validum atque armatum interesse minime oportuisse sane apparet, statuoque igitur eum rege iam in sanam mentem restituto advenisse, ut funestum amicum doleret atque consolaretur. Qui quis fuerit nescio; hoc autem patet similes partes eum suscepisse ac Theseum in Hercule Euripideo.

Enarravi quae monumenta de tertia Lycurgeae fabula docent;[1] iam quomodo haec cum Apollodori et Hygini narrationibus faciant inquiramus. Hyginus Lycurgi fata in fabula CXXXII sic tradit: *Lycurgus Dryantis filius Liberum de regno fugavit . quem cum negaret deum esse vinumque bibisset et ebrius matrem suam violare voluisset, tunc vites excidere est conatus, quod diceret illud malum medicamentum esse, quod mentes immutaret . qui insania ab Libero obiecta uxorem suam et filium interfecit . ipsumque Lycurgum Liber pantheris ob-*

[1]) Picturarum cum altera classis (A et B) quam accuratissime ad ipsam scaenam spectet, altera solutius pingendi magis usum modumque sequatur quam speciem scaenae, fieri potest, ut haec a celeberrima illa imagine pendeat, quam Athenis in Bacchi templo pictam Pausanias commemorat I 20, 3; conferas supra p. 11.

iecit in Rhodope, qui mons est Thraciae, cuius imperium habuit. [hic traditur unum pedem sibi pro vitibus excidisse]. Copiosius Apollodorus 3, 5, 1, 3: *Λυκοῦργος δὲ παῖς Δρύαντος, Ἠδωνῶν βασιλεύων, οἳ Στρυμόνα ποταμὸν παροικοῦσι, πρῶτος ὑβρίσας ἐξέβαλεν αὐτόν· καὶ Διόνυσος μὲν εἰς θάλασσαν πρὸς Θέτιν τὴν Νηρέως κατέφυγε, Βάκχαι δὲ ἐγένοντο αἰχμάλωτοι καὶ τὸ συνεπόμενον Σατύρων πλῆθος· αὖθις δὲ αἱ Βάκχαι ἐλύθησαν ἐξαίφνης, Λυκούργῳ δὲ μανίαν ἐνεποίησε Διόνυσος· ὃ δὲ μεμηνὼς Δρύαντα τὸν παῖδα, ἀμπέλου νομίζων κλῆμα κόπτειν, πελέκει πλήξας ἀπέκτεινε, καὶ ἀκρωτηριάσας αὑτὸν ἐσωφρόνησε· τῆς δὲ γῆς ἀκάρπου μενούσης, ἔχρησεν ὁ θεὸς καρποφορήσειν αὐτήν, ἂν θανατωθῇ Λυκοῦργος· Ἠδωνοὶ δὲ ἀκούσαντες εἰς τὸ Παγγαῖον αὐτὸν ἀπαγαγόντες ὄρος ἔδησαν, κἀκεῖ κατὰ Διονύσου βούλησιν ὑπὸ ἵππων διαφθαρεὶς ἀπέθανε.* In utraque fabula quae de exitu Lycurgi narrantur ut inter se discrepant, ita ea ab Aeschyli fabulis vix pendere posse apparet; cetera vero cum eis satis consentiunt, quae ex picturis edocti sumus, nisi quod Apollodorus scaenicam illam versionem cum Homeri de Baccho in mare fugiente narratione male contaminavit. Hygini fabulae clausulam Schmidtius recte quidem ut glossam uncis inclusit, attamen rem ipsam non imperite argumento subiectam esse Apollodori illud *ἀκρωτηριάσας αὑτόν* indicat. Nam quod in eius narratione editores *αὐτόν* scribendum esse maluerunt, cum ipso argumento pugnat, quoniam Lycurgum filium necavisse auctor paullo ante a affirmat. Ad Aeschylum id referendum esse vix puto, cum nimis immoderata copia argumenti iustum fabularum modum excedere videatur. Idem valet de iis, quae Hyginus de matre Lycurgi narrat, etsi hoc tamen inde admonemur facile fieri potuisse, ut regis mater in Neaniscis fabula procederet et aeque ac Amphitryo in Hercule Euripidea familiae casum superstes doleret.

In fine trilogiae, qua Bacchi humilitas, gloria, triumphus continebatur, ipsum Dionysum processisse in propatulo est et fieri potest, ut ad eius orationem referenda sint, quae Sophocles Antig. 955 ss. de exitu Lycurgi narrat:

> *Ζεύχθη δ' ὀξύχολος παῖς ὁ Δρύαντος,*
> *Ἠδωνῶν βασιλεύς, κερτομίοις ὀργαῖς*

ἐκ Διονύσου πετρώδει κατάφαρκτος ἐν δεσμῷ.
οὕτω τᾶς μανίας δεινὸν ἀποστάζει,
ἀνθηρόν τε μένος · κεῖνος ἐπέγνω μανίαις
ψαύων τὸν θεὸν ἐν κερτομίοις γλώσσαις.
παύεσκε μὲν γὰρ ἐνθέους
γυναῖκας εὔιόν τε πῦρ,
φιλαύλους δ' ἠρέθιζε μούσας.

Nam cum fabulam de Lycurgo rupe incluso Atheniensibus fortasse non ante V. saeculum notam fuisse infra demonstraturus sim, ex tragoedia quadam Sophoclem eam hausisse veri non dissimile est. Si recte ad Aeschylum eam revoco, Baccharum fortasse instar Neanisci finem habuerunt: restituto iam Lycurgo in sanam mentem Dionysus in scaenam regressus saxeas vinculas aeternumque cruciatum praedixit.

Septem igitur octove personae in Neaniscis progressae sunt: Lycurgus, regina, Mercurius, Lyssa, nuntius (canephorus?), amicus quidam et fortasse mater Lycurgi. Quibus omnibus ut duo actores satisfacerent dubium esse nequit quin Aeschylus efficere potuerit; certiora in hac re tam incerta affirmare non licet.

Restat ut de quarta tetralogiae fabula pauca dicam. In qua Lycurgum vinctum et a satyris aut quibusvis aliis cultoribus Bacchi irrisum processisse docet fragmentum traditum ab interprete Aristophanis ad Equ. 1150 *Αἰσχύλος ἐν Λυκούργῳ ἀλληγορικῶς τοὺς δεσμοὺς κημοὺς εἴρηκε · καὶ τούσδε κημοὺς στόματος*. Quarum cavillationum exemplum servavit Athenaeus X p. 447 C

Κὰκ τῶνδ' ἔπινε βρῦτον ἰσχναίνων χρόνῳ
καὶ σεμνοκόπτει τοῦτ' ἐν ἀνδρείᾳ στέγῃ.

Sic potatores in Lycurgi calamitate iocantur.

Etsi extra officium a me susceptum positum est indagare quanam arte Aeschylus traditum argumentum commutaverit, auxerit, scaenae adaptaverit, tamen paucis in hanc quoque quaestionem incumbere mihi liceat, quippe cuius Homeri comparatio ansam praebeat. Diomedes enim in Iliade cum Glauco in pugna congressus dum an deus ille sit dubitat aggredique illum non audet, meminit Lycurgi *Z* 130 ss.:

οὐδὲ γὰρ οὐδὲ Δρύαντος υἱός, κρατερὸς Λυκόοργος,
δὴν ἦν, ὅς ῥα θεοῖσιν ἐπουρανίοισιν ἔριζεν.
ὅς ποτε μαινομένοιο Διωνύσοιο τιθήνας
σεῦε κατ' ἠγάθεον Νυσήϊον· αἳ δ' ἅμα πᾶσαι
θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν, ὑπ' ἀνδροφόνοιο Λυκούργου
θεινόμεναι βουπλῆγι.[1]) *Διώνυσος δὲ φοβηθεὶς*
δύσεθ' ἁλὸς κατὰ κῦμα, Θέτις δ' ὑπεδέξατο κόλπῳ
δειδιότα, κρατερὸς γὰρ ἔχε τρόμος ἀνδρὸς ὁμοκλῇ.
τῷ μὲν ἔπειτ' ὀδύσαντο θεοὶ ῥεῖα ζώοντες,
καί μιν τυφλὸν ἔθηκε Κρόνου παῖς· οὐδ' ἄρ' ἔτι δὴν
ἦν, ἐπεὶ ἀθανάτοισιν ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν.

De infante deo in hac fabula cogitandum esse rectissime sane is animadvertit, quem Eustathius secutus ad v. 136 haec adnotavit: *λέγεται δὲ αὐτὸς (Λυκοῦργος) διώκειν τὸν Διόνυσον καὶ τὰς ὀργιαζούσας αὐτῷ τιθήνας, παύσασθαι δὲ τοῦτο ποιῶν, ὅτε φοβηθέντα τὸν Διόνυσον . . . Θέτις ὑπεδέξατο κόλπῳ, οἷα δηλαδὴ ἁπαλόν τινα παῖδα· τοὺς τοιούτους γάρ ἐστι κόλπῳ δέχεσθαι.* Etsi scaenae memoria, ut videtur, plerosque et veteres et novos pellexit, ut de pubere deo male cogitarent. Justam esse Eustathii ratiocinationem satis certa indicia docent. Attigerunt enim magis quam narraverunt Lycurgi fabulam scholiastes ad Σ 486, interpres ad Germanici Phaeno-

[1]) *βουπλήξ* quodnam instrumentum sit ambigitur. Quod vocabulum cum post Homeri memoriam a sermone Graeco alienum esset, diversis modis grammatici explicaverunt. Etymologia enim cum doceret *βουπλῆγα* instrumentum esse, quo boves feriantur, nimirum flagellum, glossographi num *βούκεντρον* an *μάστιγα* an *πέλεκυν* intellegerent haeserunt, velut Eustathius l. a. *βουπλὴξ δὲ βούκεντρον ἢ πέλεκυς βοὸς ἀναιρετικὸς ἢ μάστιξ γινομένη ἀπὸ τμήματος βύρσης.* Quod vero *βουπλήξ* ubicunque a recentioribus auctoribus ad Homeri exemplum usurpatur, bipennem significat — praeter unum locum (Luciani) Philopatr. 4 — haec explicatio vulgata fuisse videtur. Quae cum a vera Homeri sententia longe abhorreat, atque vix intellegi possit, quo modo factum sit, ut vel post Aristarchi egregiam curam Homeri locus perversa hac vocis *βουπλήξ* interpretatione falso intellegeretur, haud spernenda mihi videtur coniectura, Aeschylum vocabulum *β.* de bipenni usurpavisse, quo Lycurgus familiam interfecit — sive Homeri locum prave interpretatum, sive novum sensum vocabulo prisco substituentem, Aeschylum autem recentiores poetas in falsa illa Homeri interpretatione secutos esse.

mena *B P* p. 75,1, Hyginus Ast. II 21, quos ex Eratosthenis Catasterismorum exemplari integro hausisse epitome collata (XIV p. 196 Robert) patet. Ipsi Pherecydem pronuntiant auctorem, cuius narrationem verbis interpretis ad Il. *Σ* 486 proferam: *Ζεὺς ἐκ τοῦ μηροῦ γεννηθέντα Διόνυσον ταῖς Δωδωνίσι νύμφαις τρέφειν ἔδωκεν . . . αὗται θρέψασαι τὸν Διόνυσον περιῄεσαν σὺν αὐτῷ, τὴν εὑρεθεῖσαν ἄμπελον ὑπὸ τοῦ θεοῦ τοῖς ἀνθρώποις χαριζόμεναι. Λυκοῦργος δὲ μέχρι τῆς θαλάσσης συνεδίωξε τὸν Διόνυσον. ἐκείνας δὲ ἐλεήσας ὁ Ζεὺς κατηστέρισεν· ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδῃ.* Idem paullo post *Φερεκύδης δὲ καθὰ προείρηται τὰς Ὑάδας Δωδωνίδας νύμφας φησὶν εἶναι καὶ Διονύσου τροφούς, ἅς παρακαταθέσθαι τὸν Διόνυσον τῇ Ἰνοῖ διὰ τὸν Ἥρας φόβον, καθ' ὃν καιρὸν αὐτὰς καὶ Λυκοῦργος ἐδίωξεν.* Cum Homeri narratione Pherecydem concinere apparet neque quemquam offendet, quod alter Inonem alter Thetitem praetermisit: neutrius scilicet intererat totam fabulam narrare, sed ea tantum circumscripserunt, quae occasio flagitaret. Verba autem *παρακαταθέσθαι τὸν Διόνυσον τῇ Ἰνοῖ* nullam dubitationem relinquunt, quin de infante deo sermo sit. Itaque haec quoque fabula ad aegritudines spectat, quas infans Dionysus propter Junonis inimicitiam perpessus est. Aeschylus primus e scaenae usu puberem deum a Lycurgo vexatum finxisse videtur.

Quod dixit Homerus *κατ' ἠγάθεον Νυσήϊον* Lycurgum dei nutrices fugavisse, lamentatus est vetus interpres multas esse Nysas neque de quo loco poëta cogitaverit certi quidquam statui posse. Recte ille quidem de Nysis; quem vero locum Homerus in animo habuerit, non improbabili coniectura indagare licet. Nam cum poëta Dionysum ad ipsam Thetida profugisse narret, in Thessaliae oris rem actam esse recte Maassius[1]) monuit, quoniam Thetidem non in qualibet parte Oceani, sed ad Sepiam Magnesiae promontorium habitasse constat. Quam sententiam duobus argumentis confirmare possum. Nam qui apud Homerum Lycurgi pater commemoratus Dryas apud eundem *Ξ* 265 Lapitharum dux occurit. Licet nimirum personae diversae sint, nomen certe ad Thessaliam spectat. Tum vero memineris

[1]) Hermae tom. XXIII p.

apud Pherecydem nutrices a Lycurgo perterritas Dionysum Inoni tradidisse, quam cum Halis in ore sinus Pagasaei habitasse constet, in Thessalia Pherecydem et ipsum Lycurgum collocavisse meo iure concludo. Hoc igitur pono Graecum esse illum Homeri et Pherecydis Lycurgum Graecorumque opiniones religiosas redolet, quod Bacchus in mare fugisse narratur. Qui Lycurgus num recte cum aliis eiusdem nominis deis heroibusve Graecis confundatur disserere huius disputationis fines excedit.

Contra Lycurgi sive dei sive herois cuiusdam apud Thraces cultum Demetrius commemorat apud Strabonem *X* 471 *τὸν Διόνυσον δὲ καὶ τὸν Ἠδωνὸν Λυκοῦργον συνάπτοντες εἰς ἓν τὴν ὁμοιοτροπίαν τῶν ἱερῶν αἰνίττονται.* Duos igitur tenemus Lycurgos, quorum alter Graecus vir Penthei instar omni immanitate teterrimus deumque hominumque contemptor (*ἀνδροφόνος*) Dionysum novum deum omnimodo exstinguere conabatur, alter Thracius deus Bacchici cultus particeps erat. Qui cum in unam personam confluxerint, quaestio se nobis inculcat, num quid Thracii illius Lycurgi cultus ad Graecorum fabulas conformandas valuerit.

Herodotus ubi de Getis Thracum gente disputat, haece narrat (IV 94): *ἀθανατίζουσι δὲ τόνδε τὸν τρόπον . . . οὔτε ἀποθνήσκειν ἑωυτοὺς νομίζουσιν ἰέναι τε τὸν ἀπολλύμενον παρὰ Ζάλμοξιν δαίμονα.* Idem cum de Crobyzis et Terizis Photius, Suidas, Etymologicum magnum referant, haud sine quadam probabilitate reliquis quoque Thracum gentibus similes opiniones imputamus. Quod vero Zalmoxem in cavo quodam monte habitare Strabonis verba *ἀντρῶδές τι χωρίον* (VII 298) satis plane docent, apparet Sophoclis illam narrationem de Lycurgo saxis incluso, quam Aeschyli quoque Neaniscis coniectura tribuimus, ad hunc ipsum Thracum deum pertinere. Nimirum quod Graeci poëtae hunc exitum Lycurgi pro poena habuerunt, non maiorem movet mirationem, quam quod Rhesi eandem in monte vitam ut insigne quiddam musarum praemium praedicaverunt.

Apparet hanc Thracii Lycurgi cum Graeco confusionem accidere non potuisse, nisi eo tempore quo Graeci Thracum rebus studerent frequentique usu cum eis coniuncti de moribus cogitationibus ritibus eorum indagarent. Quod haud scio an non ante V. saeculum factum sit. Quinto saeculo ineunte regiones

ad Strymona sitae prorsus in Persarum potestate erant ac profecto nec Athenienses neque alii Graeci tum in Edonorum finibus habitaverunt. Confectis vero bellis Persarum omnia studia rationesque et commerciiet rei militaris in eas regiones vocabantur. Olympiade LXXVI Athenienses coloniam ad Strymona constituerunt et quantopere omnium animi tum in Thracum rebus versati sint, ipse Aeschylus integerrimus testis exstat, qui Ol. LXXVII in Persis accurateeas regiones depinxit (v. 868 ss.)[1]. Summam igitur habet verisimilitatem tum demum Athenienses Edonorum illum Lycurgum novisse et nescio quam ob causam cum Graeco illo ex Homeri carminibus notissimo confudisse; id quod eo facilius fieri potuit, cum apud Homerum nulla patria Lycurgi indicata esse videretur.

Satis multa cognita habemus, ut mirificam artem ingeniumque sane divinum summi poëtae admiremur. Ut Atheniensium studiis responderet Aeschylus a Thracii Lycurgi cum Graeco confusione profectus novam fabulam constituit, mutavit, quae a scaena abhorrebant, haud exigua, nisi fallor, ipse invenit. Orpheum Lycurgo adiecit deorumque certamine instituto summam religionis gravitatem fabulae addidit.

Quonam tempore Lycurgea docta sit certa testimonia desunt. Quod vero et Edonos et Bassarides et Neaniscos ante domum regiam doctas esse intelleximus, inferiorum Aeschyli fabularum numero Lycurgeam inserendam esse patet.

[1]) Videas quae Fridericus Blass disseruit in Musei Rhenani vol. XXIX 481.


Corrigendum.

pag. 128 adn. lege vid. tab. II. pro tab. Ic.

Tab. I.




a




b

YORK
IC LIBRARY

Tab. II.





HARRO WULF:

DE FABELLIS CUM COLLEGII SEPTEM SAPIENTIUM MEMORIA CONIUNCTIS QUAESTIONES CRITICAE

m

1. Seven sages of Greece

De narrationibus, quae apud Graecos hominum vetusti aevi sapientium memoriam sustentabant, Plutarchus, ipse quidem talium narrationum egregie amans, in conv. sept. sap. c. 7 recte iudicat: *πολλά γε ... πιστεύεται ψευδῶς, καὶ χαίρουσιν οἱ πολλοὶ λόγους ἀνεπιτηδείους περὶ σοφῶν ἀνδρῶν αὐτοί τε πλάττοντες καὶ δεχόμενοι παρ' ἑτέρων ἑτοίμως.* Ac summo quidem exornabantur studio fabellae cum totius sapientium collegii memoria coniunctae, quae cum omnes demonstrari possint ad exiguas antiquiorum auctorum narratiunculas saec. VI et V conditas redire, de ipsorum fide et historia non ita quaeritur, ut quid insit veri in his fabellis[1]) indagemus, sed quae et apud quos fuerint narrandi primordia, qua ratione usi auctores sequentes materiam fabellarum traditam excoluerint et quasi in rivulos deduxerint, quomodo vasta et satis multifaria fabularum moles in unum corpus coaluerit detegamus. Atque cum ad septenarium numerum sapientium collegium complere veteribus placuerit (cf. infra p. 9), tres sunt imprimis narrationes, quae omnes hos septem respiciunt, quibus de ipsa collegii compositione, de sapientium conventibus et conviviis, de praemio sapientissimo eorum oblato veteres auctores referunt. Quarum fabellarum formas nobis traditas etsi iam ante triginta fere annos tractavit Franciscus Aemilius Bohren De septem sapient.

[1]) Supervacaneum exempli causa est, quod Bohren (De septem sapientibus, Diss. Bonn. 1867), cum p. 40 sq. Croesi et Solonis illum conventum nunquam habitum esse ipse iudicet, postea (p. 56) quaestionem attingit, num Pittacus et Thales *„huius conventus participes fuisse possint"*; quamquam Herodotus dicens I 29: *ἀπικνέονται ἐς Σάρδις ἀκμαζούσας πλούτῳ ἄλλοι τε οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταί, οἳ τοῦτον τὸν χρόνον ἐτύγχανον ἐόντες* certe potest de iis cogitasse.

p. 25—33 et 48 sqq., tamen, cum eas magis in conspectu posuerit quam historiam indagaverit, ex integro in eas inquirere operae pretium est. Quae vero singillatim de hoc vel illo viro sapiente perhibentur fabellae, in disputationem hic illic mihi erunt adducendae, ubicumque idoneae videbuntur, quae rem meam adiuvent.

De aetate hominum, qui septem sapientium collegio adscripti occurrunt, diserte egit Bohren l. l. p. 34—48, quam ad certum annorum computum redigere non licet, cum in fabellis versemur, in quibus componendis temporum rationes persaepe neglegebantur; quod ut dilucide appareat, sufficit de Solonis illo cum Croeso multo iuniore colloquio deque conventu omnium Sardibus apud Croesum habito[1]) admonuisse. Vixerunt sapientes ab exeunte circiter saeculo VII usque ad medium sextum ante Chr. nat.[2]); his fere temporibus etiam fabellarum auctores eos attribuisse putandi sunt, ita quidem, ut de singulorum aetate accuratius definienda omnino non cogitarent.

Atque cum Biantem Bohrenus l. l. p. 44 usque ad Olymp. 60 vitam produxisse demonstraverit, secundum Apollodorum eodem tempore natus est[3]) Heraclitus Ephesius *ὁ δυσάρεστος*, cuius ap. Diog. L. I 88 haec verba extant: *Ἐν Πριήνῃ Βίας ἐγένετο ὁ Τευτάμεω, οὗ πλεῖον λόγος ἢ τῶν ἄλλων.* In quo Diogenis loco interpretando equidem cum Bohreno l. l. p. 64 sq. facere minime dubito[4]), qui de collegio septem sapientium

---

[1]) cf. Diod. IX 26 sq.

[2]) cf. imprimis Bohreni tabellam l. l. p. 45.

[3]) nam *ἤκμαζε* teste Diogene Laertio IX 1 circa Olymp. 69; cf. H. Diels mus. Rhen. XXXI p. 33 sq.

[4]) Aliter Bergkius *Griech. Litt. Gesch.* II 413, qui certe iam Heraclitum septem illorum collegium nosse iudicat; contra Bohrenum etiam P. Stettiner Ad Solonis aetatem quaestiones criticae, Diss. Regimont. 1885 p. 10 adn. 1 temere citat locum Herod. VI 55: *τὰ δὲ ἄλλοι οὐ κατελάβοντο, τούτων μνήμην ποιήσομαι*, quo loco modo id e vetustioris aetatis memoria Herodotum pertractasse ostendere sibi videtur, quod non antea a rerum scriptoribus enarratum esset. Sed cum antecedant haec verba: *ὅ τι δὲ ἐόντες Αἰγύπτιοι, καὶ ὅ τι ἀποδεξάμενοι ἔλαβον τὰς Δωριέων βασιληΐας, ἄλλοισι γὰρ περὶ αὐτῶν εἴρηται, ἐάσομεν αὐτά*, nimirum de Lacedaemoniorum regno ab Aegyptiis vel Assyriis ducendo res est, atque ita quidem in capitibus se-

Heraclitum cogitare nondum potuisse ostendit, cum etiam Herodotus, qui persaepe occasionem commemorandi canonis habuerit, nullam eius mentionem iniecerit. Sed semina fabellarum postea de collegio et de certamine quodam propter sapientiam orto narratarum in his Heracliti verbis iam praesto esse nemo negabit: quoniam enim Heraclitum etiam de Pittaco verba fecisse scimus, cum Alcaeum captum ab eo dimissum esse adhibita sententia *συγγνώμη τιμωρίας κρείσσων* diceret (Diog. I 76), hos *ἄλλους* intellegendos esse viros praestantes, de republica meritos iure statuemus neque multum a vero aberrabimus, cum etiam de Thalete, Solone, aliis Heraclitum cogitasse sumemus: nam quinque talium virorum, praeter Solonem Thaletis, Biantis, Pittaci, Chilonis, quos omnibus temporibus septem sapientibus insertos esse infra demonstrabo (cf. p. 26), aequales quoque Heracliti paulo aut vetustiores aut iuniores laudabant eximiam iurisdictionis, astrologiae, acuminis virtutem. Ita Biantem Demodoci Lerii paulo, ut videtur, vetustioris Hipponacte, quem et ipsum circa Olymp. 60 floruisse veterum opinio ferebat[1]), hic respicit locus a Diog. L. I 84 traditus:

Ἢν τύχης κρίνων, δικάζευ τὴν Πριηνίην δίκην,

quo eodem loco hoc Hipponactis perhibetur:

Ἃ καὶ δικάζεσθαι Βίαντος τοῦ Πριηνέως κρεῖσσον.

Thaletis vero astrologiam teste Diog. L. I 23 Xenophanes Colophonius, cuius *ἀκμὴν* eidem Olympiadi sexagesimae Apollodorus tribuebat[2]), admiratus est, cum Chiloni teste Schol. Eurip. Hippol. 264 a primo Critia[3]) dictum *Μηδὲν ἄγαν* vindicetur, praeclari vero

---

quentibus de regum apud Lacedaemonios honoribus Herodotus dicit, quorum hunc illum in capp. 58—60 cum similibus apud barbaros consuetudinibus comparat. De his rebus *ἄλλοι* illi mentionem non fecerant, huc tantum illa Herodoti nota spectat.

[1]) Plin. H. N. XXXVI 11; cf. Bergk l. l. II 326.

[2]) Diog. L. IX 20; cf. Diels l. l. p. 22.

[3]) Legimus: *εἴπερ ἑνὸς τῶν ἑπτὰ σοφῶν ἐστιν ἀπόφθεγμα τὸ μηδὲν ἄγαν, ὅπερ Χίλωνι ἀνατιθέασιν, ὡς Κριτίας.* Quae sequuntur verba *καὶ Πίνδαρος*, a Bruncone in Act. Sem. Philol. Erlang. III (1884) p. 384 adn. 35 voci *Κριτίας* affixa, cum enuntiato sequenti, Pindari fragmento *σοφοὶ δὲ καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἔπος αἴνησαν περισσῶς*, coniungenda sunt.

civium principis Pittaci illud *χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι* ad officia civis spectans Simonidi Ceo Heracliti aequali non arrisisse Plato Protag. 342 C tradat. Ex quibus priorum auctorum notis satis exiguis, quae singulis sapientibus singulas laudes et, ut ita dicam, disciplinas attribuunt, hoc discimus, recentem virtutis atque sapientiae memoriam de his viris, postquam obierunt, sustentatam esse. Fabellis vero hi omnes addito Solone ut homines praeter ceteros prudentes, idonei, qui de summis illius aetatis rebus, quae animos maxime sollicitarent, apta consilia hominibus darent, in Herodoti demum historiis praedicantur, ubi plerique[1]) introducuntur in historiam bellorum Ionibus cum Cyro gestorum, quae Graecis maxime cordi erant, coniunguntur cum celeberrimo Lydorum rege Croeso, celebrantur ut saluberrimorum prudentissimorumque consiliorum auctores. Quas narrationes inter fabellas referendas esse ab hominibus fictas iam eo indicatur, quod de diversis viris similia traduntur, ita ut ab Herodoto I 170 Thales et Bias, I 27 Bias et Pittacus eisdem fabellis inserantur. Ac Thales quidem (I 170) *ἐκέλευε ἓν βουλευτήριον Ἴωνας ἐκτῆσθαι, τὸ δὲ εἶναι ἐν Τέῳ· Τέων γὰρ μέσον εἶναι Ἰωνίης. τὰς δὲ ἄλλας πόλιας οἰκεομένας μηδὲν ἕσσον νομίζεσθαι κατάπες εἰ δῆμοι εἶεν*[2]) eodemque

---

[1]) Chilonis, cuius in eo quem supra dixi conexu mentio non fit, de Cythera insula praesagium ab Herodoto VII 235 commemoratur hoc: *κέρδος μέζον ... εἶναι Σπαρτιήτῃσι κατὰ τῆς θαλάσσης καταδεδυκέναι μᾶλλον ἢ ὑπερέχειν,* quod hoc loco cum Xerxis in Graeciam expeditione coniunctum ipsum quoque ad quaestionem reipublicae saluti gravissimam pertinet. Nam praedixit illa Chilo, ut Herodotus dicit, *πάντα ὁμοίως φοβεόμενος ἀνδρῶν στόλον.* Idem legimus apud Diog. L. I 71; sed forma praesagii ab hoc perhibita: *εἴθε ... μὴ ἐγεγόνει, ἢ γενομένη κατεβυθίσθη* ex altero illo fluxisse videtur, quod apud Herod. I 59 Hippocrati idem Chilo edidisse narratur (cf. infra p. 6).

[2]) Praeter hanc Herodoteae duae de Thalete narrationes referuntur; solis defectionem Ionibus praedixisse I 74 traditur et in capite sequente diserte fabella enarratur, qua Croesi in Halye flumine sine pontibus transgrediendo adiutor celebratur. Cui narrationi Herodotus ipse quidem fidem abrogat, pontibus, qui tum in flumine fuissent, Croesum usum esse arbitratus. De his tribus narrationibus non idem censendum est. Nam consilium Ionibus datum, ut Bianti ita Thaleti vindicatum (I 170), homines finxisse *ψευδῶς πλάττοντας* in aperto est. Neque aliter iudicandum de altera narratione, quae Thaletem Croeso

loco **Biantis** extat consilium postea in Panionio Ionibus a Cyro superatis datum, ut uno agmine in Sardiniam profecti ibi con-

---

consulentem facit (I 75), quam teste Diog. L. I 38 paulisper mutatam etiam ab Sosicrate Rhodio Hermippo Callimacheo superstiti (cf. Susemihl *Gesch. d. griech. Litter. in der Alexandrinerzeit* I 506) memoriae traditam scimus. Quod igitur Bergkius l. l. II p. 415 dicit: *Thales war kein einsamer Denker, sondern ein durchaus praktischer Mann; seine Einsicht in politischen Dingen bekundet der verständige Rat, den er den Joniern wohl unmittelbar vor der Eroberung durch die Lyder erteilte ..., wie auch die lydischen Fürsten sich seines Rates bedienten,* illo crimine eum non absolvendum puto, quod Wilamowitz in Hermae vol. XXV p. 207, 4, vernaculam vocem *Köhlerglauben* adhibens, Wyttenbachio opprobrio dat. Quodsi Bergkius dicere pergit: *Der Name des Thales ward, wie es scheint, vorzugsweise populär, seitdem er eine Sonnenfinsternis vorher verkündigt hatte,* ex hac narratione, quam teste Diog. L. I 23 iam Xenophanes nosse videtur, tantum patere Bergkio adsentior, Thaletem apud aequales inclaruisse astronomiae laude. Quae scientia cum persaepe ab auctoribus eisque anterioribus respiciatur, ad complures componendas fabellas eos invitabat. Sic Xanthus ap. Nicolaum Damascenum (Frg. hist. Graec. I p. 42 frg. 19) imbrem eum praesciisse (legitur: *φασὶ δέ τινες Θαλῆν προειδόμενον ἔκ τινων σημείων ὄμβρον γενησόμενον καὶ ἀναμένειν τὴν ὥραν ἐκείνην*) narrat, quo imbre Croesus, cum Persae rogum ardentem exstinguere frustra conati essent, servatus esset, Plato Theaet. 174 A iocum de ancilla Thraessa philosopho illudente belle excogitatam (cf. Diog. L. I 34) affert, Eudemus teste Diog. I 23 eum *κατά τινας πρῶτος ἀστρολογῆσαι καὶ ἡλιακὰς ἐκλείψεις καὶ τροπὰς προειπεῖν* videri tradit, Phoenix Colophonius apud Athen. XI 495 D (frg. 3 p. 143 Lachmann) de sidere utilissimo nautis Phoenicum a Thalete invento mentionem inicit. Nam recte Lachmannus versus sic restituit:

Θαλῆς γάρ, ὅστις ἀστέρων ὀνήιστον
[ναύτῃσιν εὗρεν ἐμπόροισι Φοινίκων]
καὶ τῶν τότ', ὡς λέγουσι, πολλὸν ἀνθρώπων
ἐὼν ἄριστος, ἔλαβε πελλίδα χρυσέην,

allato Callimachi choliamborum fragmento a Diog. I 23 (in O. Schneideri Callimacheis II p. 259) tradito, quod cum Schneidero sic lego:

Θάλητος, ὅς τ' ἦν τἄλλα δεξιὸς γνώμῃ
καὶ τῆς ἁμάξης ἐλέγετο σταθμήσασθαι
τοὺς ἀστερίσκους, ᾗ πλέουσι Φοίνικες.

Sed longum est, quicquid de Thaletis scientia rei astronomicae et mathematicae, de eius in Aegypto peregrinatione narrabantur, afferre. *Πολιτικὸν ἄνδρα* Thaletem praeter duas quas attuli fabellas una narratio Diogenis I 25 prodit, de qua vide quae infra dicam p. 10, 1.

siderent; deinde I 27 vel Pittaci vel Biantis cum Croeso Sardibus sollerter habitum colloquium commemoratur, quippe quo Lydorum regis contra Iones expeditio sit prohibita; Chilo porro I 59 Hippocrati, Pisistrati patri, cui prodigium grande evenerat, consilium dat, ut aut uxorem, quae liberos ei editura sit, non ducat, aut, si iam duxerit, domo eam exigat, necnon puerum abdicet. Eiusdem VII 235 extat de Cythera insula, quod commemoravi, praesagium. Pueris denique decantatum est colloquium Solonis cum Croeso Sardibus habitum (I 29—33).[1]) Itaque hos viros ut sapientia praestantes maximis rebus interfuisse iam Herodoti aetate homines fingebant: idem Herodotus cogitat de horum, ut videtur, virorum cum Croeso conexu,[2]) cum I 29 dicat: *ἀπικνέονται ἐς Σάρδις ἀκμαζούσας πλούτῳ ἄλλοι τε οἱ πάντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφισταί, οἳ τοῦτον τὸν χρόνον ἐτύγχανον ἐόντες, ὡς ἕκαστος αὐτῶν ’πικνέοιτο*..., unde facile erat eo progredi, ut quasi in unam societatem cogerentur sapientes et pro collegio constituerentur (cf. infra p. 7—9).

Neque multo post Herodotum talia fingebantur.[3]) Legimus enim apud Diog. I 41: *Λεάνδριος μὲν γὰρ ἀντὶ Κλεοβούλου καὶ Μύσωνος Λεώφαντον Γορσιάδα, Λεβέδιον ἢ Ἐφέσιον, ἐγκρίνει, καὶ Επιμενίδην τὸν Κρῆτα.* De hoc Diogenis Leandro vel Leandrio Milesio, qui potius est Maeandrius[4]), infra

---

[1]) Periander quoque, qui postea demum (cf. infra p. 28sq.) septem sapientibus adscriptus est, apud Herodotum occurrit, non ut homo aliis sapientia superior, sed ut tyrannus; cf. I 20. 23sq. III 48—53. V 92. 95.

[2]) Tamen non neglegendum, quod Solonem tantum, Biantem, Pittacum Sardes venisse diserte narrat. Chiloni autem apud Herodotum omnino nihil est cum Croeso (cf. infra p. 9sq.).

[3]) De collegio iam egit Bohrenus l. l. p. 25—33.

[4]) Eundem scriptorem intellegendum esse Leandrum vel Leandrium atque Maeandrium Milesium dilucide ostendit C. Keil Vindic. onomat. Numburg. 1843 p. 9—13, quocum Müller Frg. hist. Graec. II 334—38 consentire non dubitat. Inveniuntur enim Maeandrii fragmenta apud Strabonem XII p. 552, Athenaeum X p. 454 A., in titulo Prienensi, Corp. Inscr. Gr. 2905 (II p. 573), apud Macrobium Saturn. I 17, 21 (codd. *Meandrius*); qui Maeandrius ter Milesius vocatur, semel (in titulo Prienensi) eius historiae Milesiae aperte laudantur; de libro *Παράγγελμα* cum Müllero non iam cogitandum, postquam Wilamowitzius Athenaei locum quem citavi emendavit. Nomen affertur etiam aliis locis, quos congessit Müllerus l. l. p. 334. At *Λεάνδριος*, rarius *Λέανδρος* laudatur

accuratius disseram: hic quaeritur, quonam fonte usus sit. Diogenes quod dicit Leophantum et Epimenidem ab eo pro Cleobulo et Mysone insertos esse, Platonis videlicet canonem respicit, cum aliis in catalogis Cleobulus et Myson coniuncti non appareant. Reliqui ergo, quos Maeandrius inter septem sapientes conlocavit, illi quinque sunt, qui etiam in Herodoti historiis exornantur fabellis sapientiam praedicantibus. Itaque cum et satis probabile sit Maeandrium Milesium sua ex Hellanico prompsisse[1]) et Hellanicum Thucydidis aequalem, Herodoto iuniorem[2]), hoc effuse fonte usum esse extra dubitationem stet,[3]) meo iure colligere mihi videor, iam Hellanicum catalogum illum sub Leandri nomine a Diogene ad nos perlatum ex suo ipsius ingenio sibi construxisse, cum duos homines, ipse quidem Mytilenaeus, Lebedo vel Epheso et ex Creta insula arcesseret. Itaque hoc primum collegium praeter Thaletem, Pittacum, Biantem, Chilonem, Solonem continebat Leophantum atque Epimenidem. Priorum de collegii origine sententias composuit Bohren l. l. p. 65 sq.; Bergkianae enim sententiae, qui censet (l. l. II p. 412 sq.) sapi-

---

a Diog. I 28. 41, apud Schol. Aristoph. Pac. 363, Clem. Al. in Strom. I 14 p. 352 et VI 2 p. 752 Pott., et in Protrept. c. 3 p. 39 Pott., Schol. Apoll. Rhod. II 706, ex quibus locis uno (in scholiis Aristophaneis) opus de rebus Milesiis commemoratur, saepius fragmentorum indole indicatur. Itaque iure Keilius communi et patria Mileto et opere de rebus Mileti commovetur, ut ubique pro *Λεάνδριος* sive *Λέανδρος* restituat *Μαιάνδριος*. Nam recte vir doctus de lectionum varietate suspicatur *„inde quod Λέανδρος s. Λεάνδριος ubique reperiatur, nullo loco Λαίανδρος, scriptores formam Μεάνδριος aliquoties sibi indulsisse"*. Adiuvat hanc sententiam Macrobii illa scriptura *Meandrius*. Facile autem a genuina forma *Μαιάνδριος* s. *Μεάνδριος* ad scripturam *Λεάνδριος*, *Λέανδρος* aberrare potuisse librarios, libenter Keilio credimus, praesertim cum Leandri nomen, ut Müllerus l. l. recte adnotat, multo notius fuerit et fortasse revera alter quidam Leander scriptor a nostro Milesio dignoscendus sit. De hoc Leandro cf. Keil l. l. p. 13.

¹) cf. Susemihl l. l. I 532, 2.

²) Primus hoc docuit Wilamowitz in Hermae vol. XI (1876) 292 sq.; consentiunt ceteri viri docti; cf. Busolt *Griech. Gesch.* vol. I (1893) p. 151 adn. 1, ubi recensentur virorum doctorum de hac re sententiae. De Hellanici scribendi ratione cf. Wachsmuth *Einl. in das Studium der alten Gesch.* (1895) p. 510. Wilamowitz *Aristoteles und Athen* I p. 281 sqq.

³) Wilamowitz *Arist. u. Athen* II p. 19.

entes sine dubio inter se commercium habuisse atque ex hoc commercio, quod in hominum memoria haesisset, collegium effictum esse, testimonia plane desunt, cum neque priores neque Herodotus ullam fabellam tradant, qua hi viri inter se convenisse tradantur, sed hic singulos Sardes venientes faciat. R. Hirzelius vero quod in libro *Der Dialog* II p. 133 dicit: *Von früh auf hat das griechische Volk nach Typen der Klugheit gesucht, in denen der beste Teil seines eigenen Wesens sich verkörperte*, cavendum ne perperam intellegamus virum doctum atque reminiscamur, unde collegii semina sint repetenda. Sapientes nimirum, postquam singuli singulis laudibus apud aequales inclaruerunt, sensim aucti sunt auctoritate, cum singulorum virtutes certo definitae magis magisque oblivione obruerentur et mox (apud Herodotum) ad easdem summas civitatum Graecarum res diversi ut sapientia praestantes referrentur. Itaque cum saeculis anterioribus praeter unum Ulixem imprimis Achilles Aiax Diomedes, carminibus illi quidem, celebrarentur, hominibus Graecis quinti saeculi potius sapientia cordi erat: qua praeclaris viris per fabellas attributa manifeste quidem qui attribuerunt quid ipsi appeterent ostenderunt. Quodsi dicere Hirzelius pergit: *und Pittacus, Solon, Thales und andere sind in historischer Zeit zu solchen (*sc. *Typen der Klugheit) erhoben worden, wo nicht unter Anleitung, so doch mit Bestätigung des delphischen Orakels, das auch hier sich in feiner Fühlung mit dem Denken des Volkes gehalten zu haben scheint. Ein festes Mass musste natürlich dem Anwachsen dieser Weisenschar gesetzt werden,* cavendum ne iusto saepius Apollo deus quidam ex machina arcessatur. Neque Hirzelius, cum paulo inferius septem sapientes optime cum septem Solis filiis compararet, hac comparatione eo perduci debebat, ut septem illos Apollinis nominaret filios, quos si minus genuisset, at tamen adoptasset. Nam ut sapientium collegii originem comprehendamus, non opus esse deo ex ea quam modo (p. 4—6) suscepi, explanatione elucet; et quae in universum Roeperus in Philol. III p. 38 sq., cui ipse quoque Hirzelius adsentitur, de hominum studio praeclaros viros inter se coniungendi bene exposuit, cogitans ille quidem de conventuum fictione, non minus nimirum valent in declaranda eius fabellae origine, qua sapientium ἑπτὰς constituebatur. Denique oraculo illo ab

Hipponacte tradito, quo Myso a deo sapientissimus significatur (de quo vide, quae infra p. 39 dicam), hoc tantum demonstratur, suum ipsorum iudicium Graecos interdum deo supposuisse (cf. etiam p. 50, 1). Septenarius vero numerus unde provenerit, felicissime, ut modo dixi, invenit Hirzelius, cum dicat: *Ein solches* (sc. *festes Mass*) *war aber auch längst gegeben in der Siebenzahl der Helios-Söhne, die in der Vorstellung eines alten Mythos ebenfalls als die Weisesten ihrer Zeit hafteten*[1]*): nichts anderes als die neuen Helios-Söhne einer jüngeren Zeit sind die sogenannten Sieben Weisen.*

De sapientium conventibus et conviviis[2]) narrationes quamquam artissime cum collegii septemplicis constitutione cohaerent, tamen non omnes auctores, qui conventus describebant, iis omnes septem interfuisse narrabant. Diodorum enim, qui de convivio sapientium apud Croesum habito IX 26. 27 accurate refert, hanc narrationem ex Ephoro sumpsisse loco Diogenis I 40 evincitur,[3]) ubi secundum Ephorum apud Croesum septem sapientes praeter Thaletem convenisse traduntur (Frg. hist. Gr. I p. 262 frg. 101).[4]) Neque deest inter Diodori convivas Anacharsis,[5]) quem ab Ephoro *ἀντὶ Μύσωνος* septem sapientium canoni adscriptum esse ex eodem Diogene I 41 discimus. Sed Diogenis notam *πλὴν Θαλοῦ* Ephoro teste septem illos Sardes convenisse non prorsus rectam esse arbitror. Diodorus enim ne Chilonem quidem neque Cleobulum ut convivas commemorat: enumerat inducitque disputantes tantum Anacharsidem, Solonem, Pittacum, Biantem. Quodsi quae Herodotus de hominum sapientium cum Croeso relationibus narrat

---

1) Pind. Olymp. VII, 71: *ἔνθα ῾Ρόδῳ ποτὲ μιχθεὶς τέκεν* (Helios) *῾Επτὰ σοφώτατα νοήματ᾽ ἐπὶ προτέρων ἀνδρῶν παραδεξαμένους παῖδας.*

2) De his egit Bohren l. l. p. 56—64.

3) cf. Bohren p. 19. Klueber *Über die Quellen des Diod. im 9. Buch* Würzburg 1868 p. 7. Stettiner l. l. p. 4sq.

4) De fontibus, quibus Diodorus in l. IX usus sit, diserte egit Busolt l. l. II p. 60, 1, ubi reliqui quoque viri docti afferuntur, qui de hac re disputaverunt. Videtur Diodorus — sic Busoltius — in prima l. IX parte (a c. 1 usque ad c. 14 vel 15) auctorem secutus esse maxime ex Hermippo pendentem, in altera parte (a c. 23 usque ad extremum librum) saepius ex Ephoro hausisse: hoc nostro loco eum fecisse certum est.

5) cf. Stettiner l. l. p. 11.

respicimus, hos ipsos viros, Solonem, Pittacum, Biantem eum Sardibus visitasse videmus (cf. supra p. 6), cum Thaletem, quamquam regem adiuvat in Halye flumine traiciendo, tamen Sardes venisse non legamus, Chiloni autem et Cleobulo omnino nihil sit cum Croeso. Itaque equidem neque Diodoro neque eclogario tribuendum censeo, quod cum Anacharside hi tres viri soli convivae nominantur, sed ipsi Ephoro,[1] qui tribus illis, de quibus talia iam extabant apud Herodotum, nescio qua ratione ductus, Anacharsidem septem sapientium collegio ab ipso adscriptum addidit, sed de collegii totius convivio nihil iam narravit. Neque magis hoc fecit Hellanicus, si quidem de conventu narravit.

Ut autem Hellanicus ad certum sapientium numerum constituendum progressus toti quidem collegio conventum vel convivium nondum vindicasse putandus est, ita in alia Graeciae regione apud alium auctorem eodem fere tempore collegii mentio[2]) comparet, apud Andronem scilicet, qui quamquam etiam de nova fabellarum materia, hoc est de tripode sapientiae praemio (apud Diog. L. I 30), narrat, tamen hanc fabellam ex illa non amplificavit.

Hic Andro (de quo cf. Bohren l. l. p. 2) a Diogene auctor libri τρίπους significatus, cuius libri fragmenta inveniuntur in Frg. hist. Graec. II p. 347 sq. frg. 1 et 6, idem est atque Andro Ephesius fragmentorum 2 et 5 (p. 346), ut Müllerus ex comparatione horum fragmentorum recte concludit. Quodsi idem

[1]) Stettiner l. l. p. 5 adn. 1 dicit: *„Thalem cur Ephorus in conventum non recepisset, cum alios tum Aemilium Bohrenum ... fugisse miror. De Thalete rettulit Laert. Diogen. I 25: Κροίσου γὰρ πέμψαντος πρὸς Μιλησίους ἐπὶ συμμαχίᾳ ἐκώλυσεν. Apparet enim hunc locum Ephori fragmentis adiudicandum esse.“* Quam Diogenis narrationem, quae Thaletem non tam Croeso inimicum quam Milesiis utilissimum exstitisse explicare vult, ab Ephoro ducere, ut verba illa Diogenis πλὴν Θαλοῦ intellegantur, audax est. Nam quandoquidem Thales in Herodoti historiis, quae etiam de Croesi cum Thalete usu narrant, universis Ionibus prudentiam civilem consilio praestitisse tradebatur, facile fieri potuit, ut idem ipsius cives, cum ab ineunda cum Croeso postea superato societate eos retraxisset, a magno periculo defendisse ferretur. Hoc igitur sensu fabellam ex Herodoti narrationibus derivatam, ab alio auctore, scilicet Herodoto posteriore, excogitatam esse me iudice certum est. Atque ex tali fabella in maiorem Thaletis gloriam post Herodotum temere ficta Ephorum discidium Croesi et Thaletis construxisse veri dissimile est.

[2]) ap. Schol. Pind. Isthm. II 17.

Andronem in hoc libro de septem sapientibus egisse existimat,[1]) cum eo non facio, utpote qui omnino de viris sapientibus in hoc libro disputatum esse infra demonstraturus sim (cf. infra p. 19). Scripsisse eum ante Theopompum certum videtur, cum Porphyrius ap. Euseb. praep. evang. X 3, 6 sqq. p. 535 Dind. (Frg. hist. Gr. II 347 frg. 6) hunc ex Androne sua sumpsisse contendat neque, ut Müllerus p. 346 recte dicit, verisimile sit, rationes temporum a Polybio in commento isto neglectas esse. Accuratius aetatem Andronis Jonsius in Script. hist. phil. I 8, 2 circumscribere enisus est, cum eundem esse nostrum contenderet atque Andronem auctorem libri *περὶ θυσιῶν πρὸς Φίλιππον* apud Apollon. mirab. c. 8 (in Westermanni Paradoxogr. p. 107) laudato, qui Philippi Amyntae filii aequalis fuisset. Licet ille Andro aequalis fuerit Philippi, certe noster non est,[2]) neque ex hoc loco de nostro quicquam effici potest. At fabella illa de tripode, cuius mentionem facit, ad constituendam Andronis aetatem egregia nobis suppeditat subsidia.

Narrant enim complures auctores evenisse, ut praemium sive tripus sive patera vel poculum sapientissimo viro offerretur. Atque qui hoc praemium proposuerit modo Aristodemus modo Bathycles modo Croesus nominatur, necnon traditur in mari tripodem inventum, controversiam de eo exortam esse, deum sapientissimo eum dari iussisse. Sapiens autem, cui praemium offertur, apud omnes fere auctores hunc honorem recusat, digniori dari iubens, atque ita, cum ille quoque, cui secundo loco mittitur, praemium ad tertium deleget, postremus vero, ad quem pervenit, deo secundum plurimos auctores id dedicet, altera fabellae pars enascitur, quae migrationem tripodis (paterae, poculi) continet.

Cuius narrationis auctores et testimonia hic sub uno conspectu ita ponere iuvabit, ut praemissa copiosissima Diogenis Laertii narratione in elementa sua dissecta reliquos testes subse-

---

[1]) Sic etiam E. Wellmann apud Pauly-Wissowa *Real-Encyclopaedie der klass. Altertumswissenschaft* I p. 2160 sq.

[2]) cf. Müller l. l. II p. 346, qui libros *περὶ θυσιῶν* ad Andronem Halicarnassensem suo iure refert, cum „*huic Συγγενειῶν auctori argumentum antiquarium, quod accuratam familiarum gentiumque cognitionem sibi postulet, melius convenisse*" existimet.

ναις, ως προείρηται, τοῦ τρίποδος εὑρεθέντος ὑπὸ τῶν αλιέων, τοῦ χαλκοῦ, ἐπιγραφὴν ἔχοντος „τῷ σοφῷ", Σάτυρος μέν φησι παρελθεῖν τὰς κόρας — οἱ δὲ τὸν πατέρα αὐτῶν, ὡς καὶ Φανόδικος — εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ εἰπεῖν τὸν Βίαντα σοφόν, διηγησαμένας τὰ καθ' ἑαυτάς. καὶ ἀπεστάλη ὁ τρίπους· καὶ ὁ Βίας ἰδὼν ἔφη τὸν Ἀπόλλωνα σοφὸν εἶναι, οὐδὲ προσήκατο. οἱ δὲ λέγουσιν ἐν Θήβαις τῷ Ἡρακλεῖ αὐτὸν ἀναθεῖναι, ἐπεὶ ἀπόγονος ἦν Θηβαίων ἀποικίαν εἰς Πριήνην στειλάντων, ὥσπερ καὶ Φανόδικός φησι.

3. Diod. IX 3: **a)** (= 1a) *ὅτι περὶ τοῦ χρυσοῦ τρίποδος ἀμφισβητήσεως οὔσης ἡ Πυθία ἔχρησεν οὕτως·*

Ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς;
Τίς σοφίᾳ πρῶτος πάντων, τούτου τρίποδ' αὐδῶ.

b) (= 1i) *οἱ δέ φασιν ἄλλως, ὅτι πολέμου γενομένου τοῖς Ἴωσι πρὸς ἀλλήλους, καὶ τοῦ τρίποδος παρὰ σαγηνέων ἀνενεχθέντος, ἐπερωτῆσαι τὸν θεὸν περὶ τῆς καταλύσεως τοῦ πολέμου. ἡ δὲ ἔφη·*

Οὔποτε μὴ λήξῃ πόλεμος Μερόπων καὶ Ἰώνων,
Πρὶν τρίποδα χρύσειον, ὃν Ἥφαιστος κάμε τεύχων,
Ἐκ μέσσου πέμψητε, καὶ ἐς δόμον ἀνδρὸς ἵκηται,
Ὃς σοφίᾳ τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα προδέδορκεν.

c) (= 1a) *ὅτι οἱ Μιλήσιοι ἀκολουθῆσαι βουλόμενοι τῷ χρησμῷ Θάλητι τῷ Μιλησίῳ τῶν ἑπτὰ σοφῶν τὸ ἀριστεῖον ἐβούλοντο δοῦναι· τὸν δ' εἰπεῖν ὡς οὐκ ἔστι πάντων σοφώτερος. τούτῳ δὲ τῷ τρόπῳ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἑπτὰ σοφῶν ἀποποιησαμένων τὸν τρίποδα, Σόλωνι δίδοσθαι δοκοῦντι πάντας ἀνθρώπους ὑπερβεβλῆσθαι σοφίᾳ τε καὶ συνέσει. τὸν δὲ συμβουλεῦσαι τοῦτον ἀναθεῖναι Ἀπόλλωνι· τοῦτον γὰρ εἶναι σοφώτερον πάντων.*

4. Diod. IX 13, 1 (= 1h): **a)** *ὅτι φασὶν οἱ Πριηνεῖς ὡς Μεσσηνίας τὸ γένος ἐπισήμους παρθένους λυτρωσάμενος ὁ Βίας παρὰ λῃστῶν ἦγεν ὡς ἰδίας θυγατέρας ἐντίμως. μετὰ δέ τινας χρόνους παραγενομένων τῶν συγγενῶν κατὰ ζήτησιν, ἀπέδωκεν αὐτὰς οὔτε τροφεῖα πραξάμενος οὔτε λύτρα, τοὐναντίον δὲ τῶν ἰδίων πολλὰ δωρησάμενος. εἶχον οὖν πρὸς αὐτὸν αἱ κόραι πατρικὴν*

εὔνοιαν διά τε τὴν συντροφίαν καὶ τὸ μέγεθος τῆς εὐεργεσίας, ὥστε καὶ χωρισθεῖσαι μετὰ τῶν ἰδίων εἰς τὴν πατρίδα τῆς ὑπερορίου χάριτος οὐκ ἐπελάθοντο.

b) ὅτι σαγηνεῖς Μεσσήνιοι κατὰ τὸν βόλον ἕτερον μὲν οὐδὲν ἀνείλκυσαν, χαλκοῦν δὲ τρίποδα μόνον ἐπιγραφὴν ἔχοντα „τῷ σοφωτάτῳ". ἀναχθέντος δὲ τοῦ κατασκευάσματος δοθῆναι τῷ Βίαντι.

5. Valer. Maxim. IV 1 ext. 7 (= 1a):

A piscatoribus in Milesia regione everriculum trahentibus quidam iactum emerant. Extracta deinde magni ponderis aurea Delphica mensa orta controversia est, illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, hoc fortunam ductus emisse dicente. Qua contentione propter novitatem rei et magnitudinem pecuniae ad universum civitatis eius populum delata, placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam adiudicari mensa deberet. Deus respondit illi esse dandam, qui sapientia ceteros praestaret, his verbis:

Τίς σοφίᾳ πρῶτος πάντων, τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ·

tum Milesii consensu Thaleti mensam dederunt. Ille cessit eam Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii, deincepsque per omnium septem sapientium orbem ad ultimum ad Solonem pervenit, qui et titulum amplissimae prudentiae et praemium ad ipsum Apollinem transtulit.

6. Plut. Sol. 4: a) (= 1i) ἔτι δὲ μᾶλλον εἰς ἀξίωμα καὶ δόξαν αὐτοῖς κατέστησεν ἡ τοῦ τρίποδος περίοδος καὶ διὰ πάντων ἀνακύκλησις καὶ ἀνθύπειξις μετ' εὐμενείας φιλοτίμου γινομένη. Κῴων γάρ, ὥς φασι, καταγόντων σαγήνην καὶ ξένων ἐκ Μιλήτου πριαμένων τὸν βόλον οὔπω φανερὸν ὄντα, χρυσοῦς ἐφάνη τρίπους ἑλκόμενος, ὃν λέγουσιν Ἑλένην πλέουσαν ἐκ Τροίας αὐτόθι καθεῖναι χρησμοῦ τινος ἀναμνησθεῖσαν παλαιοῦ. γενομένης δὲ τοῖς ξένοις πρῶτον ἀντιλογίας πρὸς τοὺς ἁλιέας περὶ τοῦ τρίποδος, εἶτα τῶν πόλεων ἀναδεξαμένων τὴν διαφορὰν ἄχρι πολέμου προελθοῦσαν, ἀνεῖλεν ἀμφοτέροις ἡ Πυθία τῷ σοφωτάτῳ τὸν τρίποδα ἀποδοῦναι. Καὶ πρῶτον μὲν ἀπεστάλη πρὸς Θαλῆν εἰς Μίλητον, ἑκουσίων Κῴων ἑνὶ δωρουμένων ἐκείνῳ, περὶ οὗ πρὸς ἅπαντας ὁμοῦ Μιλησίους ἐπολέμησαν. Θάλεω

δὲ Βίαντα σοφώτερον ἀποφαίνοντος αὐτοῦ πρὸς ἐκεῖνον ἧκεν. ὑπ' ἐκείνου δ' αὖθις ἀπεστάλη πρὸς ἄλλον ὡς σοφώτερον. εἶθα περιιὼν καὶ ἀναπεμπόμενος οὕτως ἐπὶ Θαλῆν τὸ δεύτερον ἀφίκετο, καὶ τέλος εἰς Θήβας ἐκ Μιλήτου κομισθεὶς τῷ Ἰσμηνίῳ Ἀπόλλωνι καθιερώθη.

b) (= 1 h) *Θεόφραστος δέ φησι, πρῶτον μὲν εἰς Πριήνην Βίαντι τὸν τρίποδα πεμφθῆναι, δεύτερον δ' ἐπὶ Μίλητον Θαλῇ, Βίαντος ἀποπέμψαντος· οὕτω δὲ διὰ πάντων πάλιν εἰς Βίαντα περιελθεῖν, τέλος δὲ εἰς Δελφοὺς ἀποσταλῆναι.*

c) (= 1 b) *ταῦτα μὲν οὖν ὑπὸ πλειόνων τεθρύληται, πλὴν ὅτι τὸ δῶρον ἀντὶ τοῦ τρίποδος οἱ μὲν φιάλην ὑπὸ Κροίσου πεμφθεῖσαν, οἱ δὲ ποτήριον Βαθυκλέους ἀπολιπόντος εἶναι λέγουσιν.*

7. Athen. XI 495 D (= 1 b):

Φοῖνιξ δ' ὁ Κολοφώνιος ἐν τοῖς Ἰάμβοις ἐπὶ φιάλης τίθησι τὴν λέξιν λέγων οὕτως·

Θαλῆς γάρ, ὅστις ἀστέρων ὀνήιστος.....
Καὶ τῶν τότ', ὡς λέγουσι, πολλὸν ἀνθρώπων
Ἐὼν ἄριστος, ἔλαβε πελλίδα χρυσῆν.

8. Callimachus (= 1 b): **a)** apud Achillem Tatium in Arati Phaen. l. 1 (Uranol. ed. Petav. p. 123 C), vide Schneideri Callim. II p. 259 sq. frg. 94.

Ἔπλευσεν (patera) *ἐς Μίλητον. ἦν γὰρ ἡ νίκη*
Θάλητος, ὅστ' ἦν τἄλλα δεξιὸς γνώμῃ
Καὶ τῆς ἁμάξης ἐλέγετο σταθμήσασθαι
Τοὺς ἀστερίσκους, ᾗ πλέουσι Φοίνικες.

b) apud Choeroboscum in Crameri Anecdot. Oxon. II p. 277, 7 sqq., vide Schneideri Callim. II p. 254 frg. 89:

Σόλων· ἐκεῖνος δ' ὡς Χίλων' ἀπέστειλεν.

c) in Etymol. magn. p. 442, 10, vide Schneideri Call. II p. 261 frg. 96:

Πάλιν τὸ δῶρον ἐς Θάλητ' ἀνώλισθεν.

9. Ausonius, lud. sept. sap. 165—174 (= 1 i):

Dedere piscatores extractum mari;
Namque hi iubente Delio me legerant,
Quod ille munus hoc sapienti miserat.

εὔνοιαν διά τε τὴν συντροφίαν καὶ τὸ μέγεθος τῆς εὐεργεσίας, ὥστε καὶ χωρισθεῖσαι μετὰ τῶν ἰδίων εἰς τὴν πατρίδα τῆς ὑπερορίου χάριτος οὐκ ἐπελάθοντο.

b) ὅτι σαγηνεῖς Μεσσήνιοι κατὰ τὸν βόλον ἕτερον μὲν οὐδὲν ἀνείλκυσαν, χαλκοῦν δὲ τρίποδα μόνον ἐπιγραφὴν ἔχοντα „τῷ σοφωτάτῳ". ἀναχθέντος δὲ τοῦ κατασκευάσματος δοθῆναι τῷ Βίαντι.

5. Valer. Maxim. IV 1 ext. 7 (= 1a):

A piscatoribus in Milesia regione everriculum trahentibus quidam iactum emerant. Extracta deinde magni ponderis aurea Delphica mensa orta controversia est, illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, hoc fortunam ductus emisse dicente. Qua contentione propter novitatem rei et magnitudinem pecuniae ad universum civitatis eius populum delata, placuit Apollinem Delphicum consuli, cuinam adiudicari mensa deberet. Deus respondit illi esse dandam, qui sapientia ceteros praestaret, his verbis:

Ὃς σοφίᾳ πρῶτος πάντων, τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ·

tum Milesii consensu Thaleti mensam dederunt. Ille cessit eam Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii, deincepsque per omnium septem sapientium orbem ad ultimum ad Solonem pervenit, qui et titulum amplissimae prudentiae et praemium ad ipsum Apollinem transtulit.

6. Plut. Sol. 4: a) (= 1i) ἔτι δὲ μᾶλλον εἰς ἀξίωμα καὶ δόξαν αὐτοὺς κατέστησεν ἡ τοῦ τρίποδος περίοδος καὶ διὰ πάντων ἀνακύκλησις καὶ ἀνθύπειξις μετ' εὐμενείας φιλοτίμου γινομένη. Κῴων γάρ, ὥς φασι, καταγόντων σαγήνην καὶ ξένων ἐκ Μιλήτου πριαμένων τὸν βόλον οὔπω φανερὸν ὄντα, χρυσοῦς ἐφάνη τρίπους ἑλκόμενος, ὃν λέγουσιν Ἑλένην πλέουσαν ἐκ Τροίας αὐτόθι καθεῖναι χρησμοῦ τινος ἀναμνησθεῖσαν παλαιοῦ. γενομένης δὲ τοῖς ξένοις πρῶτον ἀντιλογίας πρὸς τοὺς ἁλιέας περὶ τοῦ τρίποδος, εἶτα τῶν πόλεων ἀναδεξαμένων τὴν διαφορὰν ἄχρι πολέμου προελθοῦσαν, ἀνεῖλεν ἀμφοτέροις ἡ Πυθία τῷ σοφωτάτῳ τὸν τρίποδα ἀποδοῦναι. Καὶ πρῶτον μὲν ἀπεστάλη πρὸς Θαλῆν εἰς Μίλητον, ἑκουσίων Κῴων ἑνὶ δωρουμένων ἐκείνῳ, περὶ οὗ πρὸς ἅπαντας ὁμοῦ Μιλησίους ἐπολέμησαν. Θάλεω

δὲ Βίαντα σοφώτερον ἀποφαίνοντος αὐτοῦ πρὸς ἐκεῖνον ἧκεν. ὑπ᾽ ἐκείνου δ᾽αὖθις ἀπεστάλη πρὸς ἄλλον ὡς σοφώτερον. εἶθα περιιὼν καὶ ἀναπεμπόμενος οὕτως ἐπὶ Θαλῆν τὸ δεύτερον ἀφίκετο, καὶ τέλος εἰς Θήβας ἐκ Μιλήτου κομισθεὶς τῷ Ἰσμηνίῳ Ἀπόλλωνι καθιερώθη.

b) (= 1 h) Θεόφραστος δέ φησι, πρῶτον μὲν εἰς Πριήνην Βίαντι τὸν τρίποδα πεμφθῆναι, δεύτερον δ᾽ἐπὶ Μίλητον Θαλῇ, Βίαντος ἀποπέμψαντος· οὕτω δὲ διὰ πάντων πάλιν εἰς Βίαντα περιελθεῖν, τέλος δὲ εἰς Δελφοὺς ἀποσταλῆναι.

c) (= 1 b) ταῦτα μὲν οὖν ὑπὸ πλειόνων τεθρύληται, πλὴν ὅτι τὸ δῶρον ἀντὶ τοῦ τρίποδος οἱ μὲν φιάλην ὑπὸ Κροίσου πεμφθεῖσαν, οἱ δὲ ποτήριον Βαθυκλέους ἀπολιπόντος εἶναι λέγουσιν.

7. Athen. XI 495 D (= 1 b):

Φοῖνιξ δ᾽ ὁ Κολοφώνιος ἐν τοῖς Ἰάμβοις ἐπὶ φιάλης τίθησι τὴν λέξιν λέγων οὕτως·

Θαλῆς γάρ, ὅστις ἀστέρων ὀνήιστος.....
Καὶ τῶν τότ᾽, ὡς λέγουσι, πολλὸν ἀνθρώπων
Ἐὼν ἄριστος, ἔλαβε πελλίδα χρυσῆν.

8. Callimachus (= 1 b): **a)** apud Achillem Tatium in Arati Phaen. l. 1 (Uranol. ed. Petav. p. 123 C), vide Schneideri Callim. II p. 259 sq. frg. 94.

Ἔπλευσεν (patera) ἐς Μίλητον. ἦν γὰρ ἡ νίκη
Θάλητος, ὅστ᾽ ἦν τἄλλα δεξιὸς γνώμῃ
Καὶ τῆς ἁμάξης ἐλέγετο σταθμήσασθαι
Τοὺς ἀστερίσκους, ᾗ πλέουσι Φοίνικες.

b) apud Choeroboscum in Crameri Anecdot. Oxon. II p. 277, 7 sqq., vide Schneideri Callim. II p. 254 frg. 89:

Σόλων· ἐκεῖνος δ᾽ὡς Χίλων᾽ ἀπέστειλεν.

c) in Etymol. magn. p. 442, 10, vide Schneideri Call. II p. 261 frg. 96:

Πάλιν τὸ δῶρον ἐς Θάλητ᾽ ἀνώλισθεν.

9. Ausonius, lud. sept. sap. 165—174 (= 1 i):

Dedere piscatores extractum mari;
Namque hi iubente Delio me legerant,
Quod ille munus hoc sapienti miserat.

Ego recusans non recepi et reddidi
Ferendum ad alios, quos priores crederem.
Dein per omnes septem sapientes viros
Missum ac remissum rursus ad me deferunt,
Ego receptum consecravi Apollini;
Nam si sapientem deligi Phoebus iubet,
Non hominem quemquam, set deum credi decet.

10. Schol. Aristoph. Plut. 9 (= 1 a):

τρίποδι χρῆται ὁ Ἀπόλλων μαντευόμενος διὰ τοὺς τρεῖς καιροὺς τῶν πραγμάτων. Ὅμηρος, ὃς ἤδη τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα. τινὲς φασὶν οὕτω κτήσασθαι τὸν Ἀπόλλωνα τὸν τρίποδα. ἁλιεῖς ἐν Μιλήτῳ τινὲς μισθῷ βόλον ἔῤῥιπτον, ἵνα τὸ ἀναφερόμενον εἴη τοῦ ἀγοράσαντος τὸν βόλον. συμβέβηκε γοῦν ἀντὶ ἰχθύων τρίποδα χρυσοῦν περιλαβεῖν αὐτοὺς τῷ δικτύῳ. ἐφιλονείκουν οὖν περὶ αὐτοῦ, οἱ μὲν ἁλιεῖς, ὡς ἰχθῦς πεπράκασιν, οὐ τρίποδα· οἱ δὲ ἀγοράσαντες ἔλεγον, ὡς πᾶν τὸ ἀνιὸν καὶ πᾶν ὅ τι τύχοι ὠνήσαντο. οὕτως οὖν αὐτῶν φιλονεικούντων ἔδοξεν ἐρωτῆσαι τὸν Ἀπόλλωνα. ὁ δὲ ἀνεῖλεν αὐτοῖς ταῦτα·

Ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς;
Ὃς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτου τρίποδ' αὐδῶ.

προσήγαγον οὖν αὐτὸν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς· ἕκαστος δὲ τούτων παρῃτεῖτο σοφὸς εἶναι, διόπερ ἐγνώκασιν, ὡς σοφωτέρῳ πάντων, ἀναθεῖναι αὐτὸν τῷ Ἀπόλλωνι· ὅθεν φασὶν ἐσχηκέναι αὐτὸν τὸν τρίποδα.

In codd. Ravennate ac Veneto hoc Parisini deest:

οὕτω φασὶν ἐσχηκέναι τὸν Ἀπόλλωνα τὸν τρίποδα. ἁλιεῖς μισθῷ δίκτυον ἐν τῇ θαλάττῃ ἔῤῥιπτον, ἵνα τὸ ἀγρευθὲν εἴη τοῦ τὸν μισθὸν διδόντος αὐτοῖς. συμβεβήκει γοῦν ἀντὶ ἰχθύων τρίποδα χρυσοῦν περιλαβεῖν αὐτοὺς τῷ δικτύῳ. φιλονεικούντων οὖν τῶν τε ἁλιέων καὶ τοῦ μισθώσαντος, καὶ τῶν μὲν λεγόντων, ὡς οὐ τρίποδα πεπράκασιν, ἀλλ' ἰχθῦς, τοῦ δὲ ὡς πᾶν ὅ τι τύχοι· ἔχρησεν οὖν ὁ Ἀπόλλων, τῷ σοφῷ τοῦτον ἀνενεγκεῖν. ἀγαγόντες οὖν τοῦτον ἐπὶ τοὺς ἑπτὰ φιλοσόφους, ἐπεὶ ἀπηρνεῖτο εἷς ἕκαστος μὴ εἶναι σοφὸς, ἀνέθηκαν τῷ Ἀπόλλωνι εἰκότως· μάντις μὲν ὢν τοὺς τρεῖς χρόνους εἶδε, τά τ' ὄντα τά τ' ἐσόμενα πρό τ' ἐόντα.

11. Schol. Aristoph. Equ. 1016 (= 1 i):

περὶ δὲ τοῦ ἐν Δελφοῖς τρίποδος εἰς ἀναπλήρωσιν τῶν ἐν τοῖς εἰς τὸν Πλοῦτον λεχθέντων, οὐ χεῖρον καὶ τὰ παρὰ Πλουτάρχῳ ἱστορηθέντα παραλλήλων Σόλωνι κἀνταῦθα παραθέσθαι. τοὺς μὲν γὰρ ἁλιεῖς Κῴους, τοὺς δὲ τὸν βόλον πριαμένους ἐκ Μιλήτου ξένους ὑπάρξαι φησίν. τὸν δ᾽ ἀναφανέντα χρυσοῦν τρίπουν, Ἑλένην πλέουσαν ἐκ Τροίας αὐτόθι καταθεῖναι χρησμοῦ τινος ἀναμνησθεῖσαν παλαιοῦ. γενομένης δὲ τοῖς ξένοις ἄχρι πολέμου διαφορᾶς τὴν Πυθίαν ἀνελεῖν τῷ σοφωτάτῳ τὸν τρίπουν ἀποδοῦναι. ὅθεν πρῶτον μὲν πρὸς Θάλητα ἀπεστάλθαι, εἶτα πρὸς Βίαντα, τοῦ Θάλεω σοφώτερον αὐτὸν ἀποφήναντος. ἀπ᾽ ἐκείνου δ᾽ αὖθις εἰς ἕτερον ἀναπεμπόμενον, τέλος εἰς Θήβας ἐκ Μιλήτου κομισθέντα τῷ Ἰσμηνίῳ Ἀπόλλωνι, κατὰ δὲ Θεόφραστον τῷ ἐν Δελφοῖς καθιερῶσθαι. εἰς ὃν δὲ ὕστατον ἐπέμφθη, τινὲς μὲν Θαλῆν, τινὲς δὲ Βίαντα, εἰσὶ δ᾽ οἳ καὶ Σόλωνα ἱστορήκασι.
Legitur in editione Aldina, de qua cf. K. Zacher *Handschr. u. Klass. d. Aristophanesscholien* (annal. phil. suppl. XVI) 557 sqq. 723 sq.

Quas narrationes de praemii migratione traditas si percensueris, omnes fabellae formas praeter fabellas ab Androne, Eudoxo atque Euanthe[1]) (1 d), Daedalo Platonico[2]) atque Clearcho Solensi (1 e) narratas tripodis migrationem ad eum exitum deducere animadverteris, ut deo, sive Apollini Didymaeo vel Delphico sive Herculi Thebano ab eo sapienti, qui postremus acceperit, dedicetur. Nimirum hic fabellae exitus, quo adinvento in maiorem numinis gloriam fabellam excogitatam esse homines sentiebant (cf. infra p. 38, 1), semel inventus nullo modo a sequentibus scriptoribus neglegi poterat. Ergo, cum neque Andro neque Eudoxus et Clearchus de hoc exitu verba faciant, quamquam Eudoxus Apollinis Delphici, a quo Chilone rogante Mysonem sapientissimum virum designatum esse dicit, mentionem facit, certissimum mihi esse videtur, hos viros antiquissimam fabellae speciem tradere. Quod de Androne et Eudoxo etiam

[1]) Euanthes Milesius, ut Müllerus l. l. III p. 2 conicit, fortasse non diversus est ab Euanthe Samio, quem de Solone laudat Hermippus ap. Plut. Sol. 11. Ceterum nihil constat.

[2]) De Daedalo *τῷ Πλατωνικῷ* nihil scimus.

aliunde summa cum probabilitate concludi potest. Nam reliqui omnes auctores praeter hos duos in fabellam illos quinque tantum viros introducunt, quos omni aetate inter septem sapientes numeratos esse infra demonstrabitur. Sed Andro et Eudoxus alter Aristodemum alter Mysonem nominant, cui praemium adiudicatum sit; qui si eo demum tempore, quo Thales reliquique iam artissime cum hac fabella coniuncti erant, in eam illati essent, nullo modo intellegeretur, cur non potius Cleobulus et Periander, qui inde ab Aristotele in omnibus septem sapientium catalogis inveniuntur (cf. infra p. 28 sq.), nostram fabellam invasissent. Primordiis igitur fabellae procul dubio tribuendum, quod Aristodemus et Myso, viri postea paene ignoti, in hoc sapientiae certamen introducuntur. Iam ergo Andro et Eudoxus — nam Clearchus, qui tertius dedicationem ad deum factam ignorat, Eudoxo certe iunior, nunc in quaestionem non vocatur — in disceptationem veniunt, uter fabellam antiquiorem exhibeat. Atque omnes quidem uno excepto Androne scriptores, qui fabellam exhibent, per sapientium collegium praemium migrasse narrant, si praetermittimus Phanodicum (1 h et 2), qui certa de causa, quam infra (p. 45) explicabo, a Biante, qui primus tripodem acceperit, statim Herculi Thebano eum dedicari facit. Quam tripodis migrationem solus Andro ignorat, quod non solum ex Diogenis silentio colligitur, sed aliunde quoque demonstrari potest. Scimus enim ex Diog. L. I 119, Andronem de Pherecyde et Pythagora, quos inter septem sapientes ab eo non numeratos esse mox elucebit (cf. infra p. 25 sq.), egisse; infuisse autem haec Andronis in eius libro, qui inscribitur *τρίπους*, ex Euseb. praep. ev. X 3, 6 p. 535 Dind. (Frg. hist. gr. II p. 347 frg. 6) luculentissime apparet. Itaque si Andro cum tripodis fabella certum collegium septem sapientium coniunxisset, in libro *τρίπους* de Pherecyde et Pythagora non egisset: nunc autem, cum de his quoque viris egerit, Androni ille tripus, praemium sapientibus propositum, ad quemlibet virum sapientem quadrare, non cum constituto certo sapientium orbe coniunctus esse videtur; qua de causa illum librum, in quo de omnibus, quos nosset, sapientibus agere sibi proposuit, breviter *τρίπους* inscripsit, nihil aliud hoc verbo significans nisi hoc fere: cui debetur palma sapientiae? Meo igitur iure Andronem omnium auctorum

qui de tripode vel phiala fabellam excussisse traduntur, antiquissimum habeo, hoc est certe Eudoxo antiquiorem. Eundem vero progressus gradum eius fabella obtinere videtur atque Hellanici.

Nam qui Maeandrium ex Hellanico collegium suum exscripsisse conieci, idem Maeandrii de tripode fabellam a Callimacho traditam (1 b) ad Hellanicum rettulerim. Cum enim antiquissimus huius fabellae auctor, Andro, de cuius fonte mox dicam, de tripode sapientiae praemio narret, Maeandrius autem pateram hoc praemium fuisse, a Bathycle Arcade emissam, Eudoxus poculum a Croeso editum tradat, harum fabellarum, quas videlicet ex Andronis narratione ortas esse apte cogitari non potest, fontem requirenti mihi coniectura magnopere arridet haec, Maeandrii, cuius narratio Eudoxi simillima perhibetur, auctorem Hellanicum fuisse. Quam coniecturam etsi argumentis, quae nihil admittant dubitationis, adiuvare non possum, tamen ex iis quae infra (p. 22—25 et maxime p. 23, 1) exponam aliquantum probabilitatis adsecuturam esse confido.

Iam in eo est, ut de Maeandrii aetate accuratiora afferam. Ac primum quidem Muellerus (l. l. II p. 334) ex loco Diog. I 28 (*ταῦτα δὴ Καλλίμαχος ἐν τοῖς ἰάμβοις ἄλλως ἱστορεῖ, παρὰ Λεάνδρου λαβὼν τοῦ Μιλησίου*) suo iure efficit Maeandrium aut antiquiorem Callimacho aut aequalem fuisse. Deinde idem Maeandrii fragmento 12 (II p. 337 sq.) apud Athenaeum, quem sua hausisse ex Clearcho Muellerus conicit, nobis tradito commovetur, ut Maeandrium ipso Clearcho antiquiorem vel supparem aetate esse statuat; et adicit: „*Ne multo antiquiorem fuisse putemus, argumentum fragmenti 12, quo Peripateticorum industria indigitatur, videtur impedire*“. Contra Roeperus in Philol. III (1848) p. 29 et 30 Bohreno (l. l. p. 1) „*summa cum probabilitate*“ docuisse videtur, „*eum antiquioribus scriptoribus accensendum esse et scripsisse circa ol. 95 (400 a. Chr.)*“. Roeperus affert locum ex Clem. strom. VI 2 p. 752 Pott., quo loco hi auctores, qui Melesagoram exscripserint, enumerantur: Gorgias Leontinus, Eudemus Naxius (qui Hecataei aequalis aetate bellorum contra Persas gestorum degit) *καὶ ἐπὶ τούτοις* Bio Proconnesius, qui ex Cadmo Milesio, logographo, ut videtur, antiquissimo, sua deprompsit, Amphilochus, cuius aetatem igno-

ramus,[1]) Aristocles, de quo nihil constat, Leander noster, Anaximenes (scil. Lampsacenus), qui Alexandrum in Asiam comitatus est,[2]) Hellanicus, Thucydidis aequalis, Hecataeus, ille, ut puto, qui Aegyptum Ptolemaeo Lagi filio regnante visitavit, Androtio, Isocratis discipulus, qui contra Demosthenem dixit, Philochorus. Quo in catalogo rationem temporum non accurate observatam esse in aperto est. Quamquam Gorgias, Eudemus, Bio antiquioribus temporibus sunt adnumerandi, — sed ante Leandrum duo iam enumerantur, de quibus nihil certi scimus, Amphilochus et Aristocles, et sequitur eum Anaximenes, Alexandri aequalis; Androtio ante Hecataeum primi Ptolemaei aequalem vixit: quodsi antiquior significatur, hic ante Hellanicum transponendus erat; utique Hellanicus Anaximenem antecedere debebat.[3]) Itaque ex hoc catalogo nihil effici potest; quodsi Roeperus ex ea re, quod Callimachus Maeandrii narratione usus sit, de huius viri aetate aliquid concludere nobis licere putat, cum dicat: *denn es ist ebenso wenig wahrscheinlich, dass der gelehrte Dichter in solcher Sache nicht sollte der ältesten und beglaubigtsten Tradition gefolgt sein,* hoc argumento iusto audacius uti mihi videtur. Sed accedit ad dirimendam quaestionem locus Vitae Arateae (in Westermanni vitar. scriptoribus p. 60) ubi legitur: *συνήκμασε* (scil. Aratus) *δ' Ἀλεξάνδρῳ τῷ Αἰτωλῷ καὶ Καλλιμάχῳ καὶ Μενάνδρῳ* (sic liber Palatinus; cett. codd. exhibent: *μελαγχρίῳ, μελανχρίῳ,* unusque liber Parisinus A, cuius sinceritas a Maassio defenditur: *μελανδρίῳ*) *καὶ Φιλητᾷ.* Maxime illa quam exscripsi lectione *μελανδρίῳ* E. Maassius in Arateis (Philol. Unters. ed. Kiessling et Wilamowitz XII) p. 323 adducitur, ut Meinekii coniecturam, legendum esse *Μαιανδρίῳ,* „*aliquammultum stabiliri*" censeat, ob-

[1]) Concedo E. Schwartzio (apud Pauly-Wissowa I p. 1940) tantum ex catalogo nostro concludi posse, in Amphilochi aetate circumscribenda ultra saec. IV descendere non licere.

[2]) cf. Brzoska apud Pauly-Wissowa I p. 2086 sqq.

[3]) Ne coniectura quidem Roeperi, Anaximandrum pro tradito Anaximene supponendum esse, haec difficultas tollitur. Nam quem Roeperus intellegi vult Anaximander Milesius (scil. rerum scriptor Xenophontis et Ctesiae aequalis; cf E. Schwartz apud Pauly-Wissowa I p. 2085 sq.) ne ipse quidem Hellanici aequalis nominari potest, nedum aetate eum antecedat. Certe reicienda Roeperi coniectura.

stantibus, ut dicit, Westermanni lectioni *Μενάνδρῳ* et codicibus Matritensibus N 67 et 61 et Menandri comici tempore. Obstare tempus equidem non video, cum Menander ad maximum, ut videtur, quattuor annis maior Phileta Coo Arati magistro (cf. Susemihl l. l. I p. 286, 8), septem fere annis ante hunc obierit, Aratus autem ante Callimachum natus (anno fere 315; cf. Susemihl l. l. I p. 285, 6) tempore, quo Menander mortuus est, iam viginti quattuor annorum fuisse videatur. Sed recte Maassius „*non modo coaevos sed, quibuscum consuetudinem Aratus habuerit, sive in Co insula sive Athenis seu alibi, recenseri*" dicit. Itaque scriptura per libros iam dubia *Μενάνδρῳ* hac de causa removenda, quia Menander neque coaevus est Arati, ut Alexander Aetolus et Callimachus, qui enumerantur, neque ullam habuit cum eo consuetudinem, quam habuit Philetas multum ille quidem Aratum antecedens aetate. Atque cum scriptura libri Parisini A Meinekii coniecturam *Μαιανδρίῳ* me quoque iudice satis probabilem reddat, hic locus ad huius aetatem constituendam egregie nobis succurrit. Nam non inconsulto, ut puto, Maeandrius, familiaris nimirum Arati, ante Philetam ultimo loco nominatum positus est. Probabiliter igitur eum iuniorem Phileta, non multo seniorem Callimacho, circa annos 330—320 natum esse suspicabimur.

Necnon fabella eius a Callimacho ap. Diog. I 28 sq. tradita (1b) ad posteriorem aetatem spectat, cum dedicatio ad deum facta, quae apud Eudoxum (cf. supra p. 18) Maeandrio aetate longe priorem deest, apud Maeandrium legitur, ex Theophrasto (cf. infra p. 42) deprompta esse putanda sit. Quodsi Maeandrium in enarranda fabella Hellanicum secutum esse arbitror, multo quidem simpliciorem fuisse Hellanici narrationem, apud quem fabellam adeo amplificatam exspectare nullo modo licet, certum est. Ac dedicatio quidem illa, utpote quam apud Eudoxum nondum inveniamus, ab Hellanico certe abiudicanda est, et haec quoque quaestio digna mihi esse videtur, quae excutiatur, utrum Hellanicus iam de paterae migratione narrasse existimandus sit, an Maeandrius etiam hanc fabellae partem ex auctoribus illo posterioribus addiderit. Cum enim et in Andronis fabellae specie, omnium, ut vidimus, quae manifeste nobis traduntur, antiquissima, de Argivis, qui *ἆθλον ἀρετῆς τῷ σοφωτάτῳ τῶν Ἑλλήνων*

propositum Aristodemo addixerint, referatur, et Hellanicum aequalem, qui et ipse ex Peloponneso a Bathycle Arcade praemium edi facit, annales Argivos scripsisse constet, adduci facile quispiam potest, ut de eodem fonte ab utroque adhibito cogitet. Hellanicus igitur de patera, sapientiae praemio, si hanc fabellam recte ei vindicavi,[1]) in libro illo, qui inscriptus est *ἱέρειαι Ἥρας*

[1]) Qua fabella Hellanico attributa facile intellegitur, unde, cum ceteri de Croeso dicerent, qui praemium proposuisset, provenerit Maeandrii ille Bathycles Arcas. Quem ex regione Argolidis finitimae arcessitum in annalibus Argivis inventum esse apte cogitari potest (cf. adn. sq.). Atque mox ex traditis fabellae formis luculenter apparebit, re vera Bathyclem priorem fuisse praemii editorem, a quo postea demum ad Croesum scriptores aberrabant. Sed priusquam de hac re iudicemus, primum alia quaestio cum Bathyclis nomine coniuncta dirimenda est, utrum hic Arcas idem sit ac Bathycles Magnes, quem Apollinis Amyclaei sellam fabricatum esse ex Pausan. III 18, 6 discimus. Quem Magnetem una cum auro, quod Croesum Lacedaemoniis donasse Herodotus I 69 et Pausanias III 10, 10 narrant, Spartam a Lydorum rege missum esse Kleinius in *Archaeologisch-Epigraphische Mitteilungen aus Oesterr.-Ungarn* IX p. 175 ex fabella, de qua res est, conclusit. Sed A. Furtwaenglerus *Meisterwerke d. Griech. Plast.* p. 696 vidit, cum Kleinii sententia pugnare ipsa testimonia. Comperimus enim ex Herodoto I 69, Lacedaemonios a Croeso petiisse, ut aurum sibi ad exornandam Apollinis Thornacensis imaginem venderet. Cum autem Theopompus in hoc *Πυθαεῖ* aurum non invenisset, in Apollinis Amyclaei facie invenisset, teste Athen. VI 232 A tradidit, ad huius potius decus Croesi donum adhibitum esse. Pausanias denique III 10, 10 Herodotum secutus ad Apollinem Thornacensem aurum Lacedaemonios petiisse narrat, idem Theopompi notae indulget, cum abusos eos esse auro ad Amyclaeum adiciat. Sed cur Lacedaemonii apud Croesum mentiti sint? Quid huius intererat, uter Apollo ornaretur? Cum Furtwaenglero facere non dubito, qui id quod Herodotus tradit, retinet neque quicquam fuisse Bathycli cum Thornacis Pythaeo atque Croesi auro censet. Neque minus iis assentior, quae sic dicit: *Die Erwägung, dass die Sorge für die Götterbilder selbst gewiss das Frühere, die für die besondere Ausschmückung des amyclaeischen durch den Thron das Spätere gewesen sein wird, spricht dafür, dass jene Schenkung des Crösus früher fiel als der Bau des Bathycles.* Probabilis igitur hodie quoque restat, ut Furtwaenglerus recte putat, Silligii illa prisca argumentatio (Brunn *Gesch. d. Griech. Künstl.* I 52sq., quem etiam Overbeck *Gesch. d. Griech. Plast.* I p. 86sq. sequitur): *Karien, wo Magnesia lag, ward von Alyattes oder Crösus dem lydischen Reiche unterworfen. Die Künstler von Magnesia, an deren Spitze Bathycles*

(τῆς Ἥρας), ἱέρειαι αἱ ἐν Ἄργει, ἱέρειαι (cf. Niese in Hermae vol. XXIII p. 86, 1) verba fecisse[1]) illamque fabellam ex anna-

stand, da eine Anzahl derselben mit ihm zu Amyklae arbeitete, fanden zunächst an dem kunstliebenden Hofe des Crösus noch hinlängliche Beschäftigung. Als aber Lydien von den Medern unterjocht wurde, wanderten viele Griechen teils nach Italien und Gallien, teils nach Griechenland selbst aus. Bei dem Verhältnisse des Crösus zu Lacedaemon hat es also nichts Auffälliges, wenn eine Schar Künstler sich dahin wendete, wo gerade damals die Kunst in Ansehn stand. Hunc igitur Bathyclem Magnetem, qui in Peloponnesum migravit, postea ab hominibus Arcadem factum esse, nihil habet offensionis, et facile de artifice narratio potuit oriri, pateram, quam ipse nimirum fabricatus esset, eum suis reliquisse. Quae patera mox praemium videbatur dignum, quod sapientissimo offerretur, neque necessaria erat „*die letzte Weihe*", de qua Kleinius verba facit aut obscuriora aut ineptiora. Hoc igitur unum restat verum, Bathyclem Magnetem eundem esse atque Arcada eamque narrationem esse antiquiorem, quae Bathyclem praemium relinquentem facit. Quod ex traditis fabellae formis dilucide apparet: nam quandoquidem Bathyclis cum Croeso conexus quidam in memoria haerebat, a Croeso Lydorum rege, qui cum septem sapientibus coniunctissimus ferebatur, illum pateram accepisse (non Croesum a Bathycle, ut Kleinius temere suspicatur) homines invenisse videntur. Quam narrationem, quamquam nullo veterum auctorum loco aperte traditur, tamen verisimillimum est latere in fabella prioris aetatis, qua Bathyclis nomen iam oblivione obrutum erat — dico fabellam Eudoxi (1 d). Hic enim tradit, *τῶν Κροίσου τινὰ φίλων λαβεῖν παρὰ τοῦ βασιλέως ποτήριον χρυσοῦν, ὅπως δῷ τῷ σοφωτάτῳ τῶν Ἑλλήνων.* Deinde plane exstincta est huius amici memoria in sequenti fabella Clearchi, qui Croesum ipsum pateram Pittaco misisse narrat, donec Callimachus ex Maeandrio priscam Hellanici narrationem amplificatam illam quidem redintegraret. Quid de Croeso ut rege Thulensi sit censendum, vide infra p. 43, 3.

[1]) De hoc Hellanici libro duo viri doctissimi inter se dissentiunt. Niese, qui in Hermae vol. XXIII p. 86—91 de hac re disputavit, cum Argis solum fere nomen libri coniunctum fuisse suspicatur, qui fabulas ad totam Graeciam pertinentes continuerit; contra Wilamowitzius *Aristoteles und Athen* I p. 281 sq. re vera annales Argolidis regionis in libro infuisse pro certo habet. Quodsi ex nostra Hellanici narratione de eius libri indole aliquid effici licet, maxime quidem fabulas, quae ad Argolidem regionem eique finitimas pertinerent, in hos libros receptas neque tamen alias a vulgari scientia illas quidem non remotiores, omnino repudiatas esse verisimile est. Nam et Bathycles ille Arcas, qui apud alios non invenitur, apud Hellanicum comparet, et Thaleti, homini illi quidem Milesio, sed apud omnes Graecos celeberrimo, praemium hic offertur.

libus sacerdotum Argivorum deprompsisse putandus est. Qui annales nimirum duas eiusdem fabellae species exhibuerunt, alteram Andronis, tripodem certaminis praemium sapientissimo Graecorum propositum esse ab Argivis, addictum esse Aristodemo,[1]) alteram Hellanici, Bathyclem quendam Arcada suis pateram reliquisse, quam *σοφῶν τῷ πρωτίστῳ* darent, accepisse eam Thaletem. Quod si verum est, Hellanicum praemii migrationem nondum adhibuisse certum videtur (cf. etiam adn. 1) — id quod eo minus mirum est, quod idem auctor etiam primordia conventus, si quidem tale quid memoriae tradidit, ad totum collegium nondum adhibuisse putandus est. Narravit igitur de collegio, de patera sapientiae praemio, fortasse de conventu, nihil horum coniunxit.

Collegii vero notitiam Andronem quoque habuisse scimus ex Schol. Pind. Isthm. II 17, ubi legitur: *Σπαρτιάτην δὲ Ἀριστόδημον ἐν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς ἀναγράφεται Ἄνδρων ὁ Ἐφέσιος* et ex Clem. Al. strom. I c. 29 p. 396 Pott.: *συνεχρόνισαν δὲ οἱ συγκαταλεγέντες σοφοὶ τῷ Θαλεῖ, ὥς φησιν Ἄνδρων ἐν τῷ Τρίποδι.* Cui collegio eum Pherecydem et Pythagoram non adscripsisse pro certo habeo. Nam minime probo, quae Bohren p. 30 et 31 de canone ab Androne constituto conicit, cum nulla alia causa prohibeatur, quominus ab Androne iam Pherecydem et Pythagoram collegio additos esse contendat, nisi ea, quod Andro l. l. eos qui una cum Thalete collegio illi adscripti essent, eodem vixisse tempore tradidit. Adducitur, ut hoc existimet, duobus locis Diog. I 119 et Euseb. praep. ev. X 3, 6 p. 535 Dind., ex quibus Andronem *ἐν τῷ Τρίποδι,* in quo libro de septem sapientibus egerit, etiam de Pherecyde et Pythagora eius discipulo narrasse constet (cf. supra p. 19). Sed apud Diog. I 119

[1]) Dubitari potest, num fabella sit haec Andronis narratio simplicissima; si quidem annales Argivos eam continuisse recte iudicamus, non est, cur sacerdotibus non credamus, Argivos olim sapientiae praemium proposuisse, quod Aristodemus obtinuisset. Hellanicus vero Andronis narrationem, quam late in ore hominum versatam esse probabile est, me iudice ita mutavit, ut praemium sapientissimo oblatum non fuisse tripodem ab Argivis propositum, sed pateram, quam, ut narrabatur (cf. supra p. 23, 1), praeclarus ille artifex reliquisset, sive haec fabella posterius, sive una cum illa Andronis in annales Argivos invasit.

legitur: *Ἄνδρων δ' ὁ Ἐφέσιος δύο φησὶ γεγονέναι Φερεκύδας Συρίους, τὸν μὲν ἀστρολόγον, τὸν δὲ θεολόγον* sqq. Quod cum diceret, videlicet Andronis interfuit, duos Pherecydes discernere. Itaque, si re vera unum ex iis inter septem sapientes numerasset, certe eum non tam *ἀστρολόγον* vel *θεολόγον*, quam unum de septem illis[1]) nominasset: quod cum non faciat, hunc locum meo iure in contrariam partem transducere posse mihi videor, cum affirmem, Pherecydem ab Androne collegio non adscriptum esse. Sed accedunt alia. Nam Dicaearchus tradit teste Diog. I 41, quattuor viros omnium veterum consensu in septem sapientibus numeratos esse, Thaletem, Biantem, Pittacum, Solonem, quibus, ut Bohren p. 25 recte dicit, Chilo accedit. Hi quinque viri, praeter Aristodemum et Mysonem soli cum fabella de tripode narrata cumque traditis illis tribus sententiis Delphicis *Γνῶθι σαυτόν, Μηδὲν ἄγαν, Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα*

[1]) *σοφιστὰς* ab eo septem nominatos esse tradit Aristid. or. 46 p. 407 Dind. (Frg. hist. gr. II 347 frg. 4); Dicaearchus apud Diog. I 40 illos *οὔτε σοφοὺς οὔτε φιλοσόφους.... γεγονέναι, συνετοὺς δέ τινας καὶ νομοθετικοὺς* tradit; cf. etiam Bohren l. l. p. 66. Quae nomina scriptores anteriores posteriores, qua quisque sapientes indole fuisse sibi finxerit, his addidisse R. Hirzelius l. l. II p. 134 sqq. sic recte exponit: *Als im fünften Jahrhundert die Sophistik Griechenland überflutet, müssen auch sie der neuen Weisheit dienen, ebenso wie sie bald nachher ein Hauch sokratischer Weisheit berührt und sie aus Weisen in solche, die nur nach Weisheit streben, aus σοφοὶ in φιλόσοφοι verwandelt. Rasch vollzog sich nun die weitere Metamorphose, die sie aus Männern des öffentlichen Lebens und der Praxis in lichtscheue Gelehrte und Theoretiker umschuf. Diese Metamorphose, die sich schon im Hippias Major ankündigt, blieb aber nicht ohne Rückschlag. Während noch Theophrast, wie es scheint, sich dieselbe zu Nutze machte, um bei der Gründung des peripatetischen Museion auf die Sieben Weisen als Vorbilder eines der Theorie gewidmeten Lebens hinzuweisen und ihren Thiasos* (cf. infra p. 30 sq.) *als das Muster des seinigen hinzustellen, nahm umgekehrt sein Mitschüler Dikaiarch sie für das von ihm vertretene Ideal eines praktischen Lebens in Anspruch, indem er durch die Nebel des Mythos hindurch auf ihr ursprüngliches historisches Wesen hinwies und sie den Zeitgenossen als lebenskluge Männer, namentlich als Politiker anpries.* Nam certe probo, quod sub textu (p. 137, 1) adicit: *Es wird doch wohl kein Zufall sein, dass diese Auffassung mit Dikaiarchs Lebensideal zusammentrifft, umsoweniger als wir dasselbe Zusammentreffen auch bei Theophrast beobachten.*

iidem soli (cf. infra p. 33) coniuncti, quorum summam prudentiam Herodotus iam, ut supra vidimus, fabellis praedicavit, inde a Platone apud omnes scriptores veteres in septem sapientibus habiti occurrunt neque fortuito factum est, ut fabella a Plutarcho De E apud Delphos 3 nobis tradita[1]) exoreretur. Itaque Bohren, quippe qui Andronis catalogum Platonis aetate posteriorem esse putet, hos imprimis viros quinque in Andronis canone infuisse utique conicere debebat. Sed nos quoque, qui Andronem aequalem fere Hellanici fuisse contendimus, cuius collegio hos quinque interfuisse probabile reddidisse nobis videamur (cf. p. 2—7), illos Andronis catalogo attribuendos esse existimamus. De sexto autem viro ab Androne collegio adnumerato res in aperto est, cum Schol. Pind. Isthm. II 17 tradat, Aristodemum Lacedaemonium ab eo in septem sapientibus habitum esse, et huic viro tripodem ut sapientissimo concessum esse Andro teste Diog. L. I 30 narret. Neque de septimo dubitatio admitti posse mihi videtur; nam Mysonem ipsis antiquioribus temporibus sapientibus adscriptum fuisse etiam Bohrenus arbitratur allato Hipponactis testimonio ap. Diog. L. perhibito:

Καὶ Μύσων, ὃν Ὠπόλλων
ἀνεῖπεν ἀνδρῶν σωφρονέστατον πάντων[2]).

Necnon ex fabella de tripode narrata ipsam antiquiorem aetatem respicere Mysonis ut sapientis mentionem iam supra conclusi (p. 19 sq.). Itaque equidem existimo ab Androne horum septem

---

[1]) Plutarchus narrat „*sapientes istos numero fuisse quinque, Chilonem, Thaletem, Solonem, Biantem, Pittacum. Tum Cleobulum Lindiorum et Periandrum Corinthiorum tyrannum, quamquam virtutis sapientiaeque expertes, tamen propter potentiam et vim in numerum sapientium se ingessisse. Quod moleste ferentes ipsos quinque Delphos convenisse litteramque eam, quae ordine quinta est et numero quinque significat, deo dedicasse, testantes se quinque esse, et sextum septimumque ut nihil ad se pertinentes repudiare*“ (Bohren p. 25 sq.).

[2]) Recte R. Hirzel l. l. II p. 133, 1 ten Brinkii, qui hunc versum Callimacho attribuere mavult, argumentationem reicit, cum dicat: „*'Varia illius fabellae exornatio Hippocratis aetate est posterior', wie ten Brink sagt, mag richtig sein* (certe verum est), *trifft aber hier nicht zu, da der angeführte Vers eine Ausschmückung der Fabel von den Sieben Weisen noch garnicht voraussetzt, sondern lediglich Apollons Erklärung über Mysons σωφροσύνη enthält*“.

virorum collegium traditum esse: Thaletis, Biantis, Pittaci, Solonis, Chilonis, Aristodemi, Mysonis.

Ac fabellam quidem de praemio homini sapientissimo, oblato, unde provenisse crediderim, modo dixi: qua in re Andronem eodem cum Hellanico fonte usum, in collegii fictione, si quid recti de eius origine supra vidi (cf. p. 6 sqq.), ab hoc pendere necessarium est. Andronem excipit Plato, qui in Protag. p. 343 A primus plenum nobis collegium perhibet horum virorum: Thaletis, Pittaci, Biantis, Solonis Cleobuli, Mysonis, Chilonis; pro Aristodemo, de quo nihil ei notum fuisse putandum est, Cleobulum Lindium, sibi, ut videtur, notiorem, inseruit. Quem, ut puto, retinentem Ephorum Mysonis loco Anacharsidem illum septimum perhibere ex Diog. I 41 discimus; adductum eum esse, ut hoc faceret, narratione sua de conventu nonnullorum sapientium, quibus Anacharsis ex Herodoti historiis depromptus interfuerit (cf. supra p. 9 sq.), facile est intellectu. Denique Diogenes L. I 99 testis nobis est, ab Aristotele Periandrum, tyrannum Corinthium, inter septem numeratum esse.[1]) Hic igitur auctor Demetrii Phalerei fuit, cuius canonem hunc fuisse ap. Stob. flor. III 172 p. 111 sqq. Wachsmuth-Hense legimus: Thaletem, Biantem, Pittacum, Solonem, Chilonem, Cleobulum, Periandrum. Qua causa Aristoteles adductus sit, ut pro Mysone Periandrum insereret, apparet. Thales (vide locos Herodoti supra p. 4, 2 citatos) enim, Bias (cf. supra p. 4 sq.), Solo, Chilo (cf. p. 4, 1 et Busolt l. l. I p. 704 sq.) fabellis prae-

[1]) De Periandro Ambraciae tyranno septem sapientibus adscripto recte disputat Busolt I 645: *Aber noch Platon und Ephorus haben Periandros nicht zu den 7 Weisen gerechnet, wie es dann Aristoteles und Demetrius von Phaleron thaten ... Den Widerspruch in der Ueberlieferung suchten dann Spätere vielfach in ähnlicher Weise zu lösen, wie die chronologische Schwierigkeit inbezug auf Lykurgos. Wie man den Olympienstifter von dem Gesetzgeber trennte, so meinte man, dass der Weise nicht der blutige Tyrann gewesen sein könnte und identifizierte ersteren mit dem gleichnamigen Fürsten von Ambrakia, einem Neffen des Tyrannen* (sic Neanth. Cyz., Sotio, Heraclid. Lemb., Pamphila apud Diog. I 98 sq.). Diodorus IX 6 Mysonem dicit insertum esse pro Periandro, quem exclusissent *διὰ τὸ τύραννον γεγονέναι πικρόν*: coniectura illa quidem non vera, cum Myso a Periandro loco suo demotus sit.

dicabantur homines inter cives suos praestantissimi; Pittacus, Cleobulus tyranni exstiterunt patriae suae: ad quos viros Periander haud dubie melius quadrare ei visus est quam Myso ille, ignotus fere homo, ex vico ignobili oriundus. Quem canonem posteriore aetate omnes secutos esse, iam Bohren p. 26 exposuit, apud quem conferas locos scriptorum huc pertinentes; vide etiam Brunconem in Actis Semin. Philol. Erlang. vol. III p. 310 et 322. Ex quo omnium posteriorum consensu concluserim, magnam illam sententiarum fluctuationem[1]) in Hermippi, Hippoboti cett. catalogis inventam ante collegium ab Aristotele constitutum maximam quidem partem ponendam esse. Incipit igitur illa collegii fictio, ut vidimus, ab Hellanico; deinde aliquantum temporis fabella viguisse et cum studio exculta esse videtur, Aristoteles vero quaestionis finem fecit posterioribus. Sed quamquam complures Graeciae regiones honorem viri ad collegium illustre praebendi appetebant,[2]) tamen, cum memoria illorum quinque sapientium etiam aliis fabellis — dico fabellam de tripode vel phiala narratam, de sententiis Delphicis, fabellas Herodoteas — defenderetur, neminem umquam eorum ex collegio remotum esse puto. At de occupando sexto et septimo collegii loco, de quibus, cum ad complendum septem virorum numerum Hellanicus et qui eum sequebantur ex ipsorum arbitrio duos adderent, ab initio res incerta erat, certamen illud ortum est. Qui auctores praeter illos, quos modo enumeravi, in hoc certamen descenderint, nescimus; verisimile autem est, non omnes viros, qui ab auctoribus propositi occurunt, etiam certo collegio insertos esse.

Fabella, quam tractavi, de collegio narrata ex Herodoteis narrationibus derivata est; hinc conventus quoque sapientium et convivia, quae ferebantur, initium cepisse ea re ostenditur, quod primum convivium nonnullorum sapientium, de quo traditur, ab Ephoro illud testibus Diog. I 40 et Diod. IX 26 et 27

---

[1]) Novi occurrunt a Dicaearcho ap. Diog. I 41 nominatus Pamphilus, ab Hermippo ibid. I 42 enumerati Acusilaus, Pherecydes, Pythagoras, Lasus, Anaxagoras, ab Hippoboto eodem loco allati Orpheus, Linus, Epicharmus, ap. Diog. I 13 Pisistratus; cf. Bohren p. 28—33.

[2]) cf. R. Hirzel l. l. II p. 183sq.

enarratum[1]), Sardibus fuisse fingitur.[2]) Ab eodem Herodoto originem ducere notam Diog. I 40, quae de septem sapientium in Panionio[3]) conventu tradit, recte concludit Bohren p. 64, qui affert fabellam illam ab Herodoto I 170 traditam consilii a Biante vel Thalete Ionibus in Panionio congregatis dati. Ut persaepe evenit (cf. p. 8 et 35), ab singulis viris ad universos septem hic conventus locus transiit: ut autem Stettiner p. 4, 4 ex epistula sapientibus a Periandro data, quae eorum convivium Sardibus habitum commemorat, post Ephorum etiam alios scriptores hoc excussisse, recte, ut puto, concludit, ita in hac quoque sola Diogenis nota narrationes complures latere verisimile est. Deinde Plato eodem loco, quo septem illorum catalogum perhibet (Protag. p. 343 A), eos cunctos Delphos convenisse et tres illas sententias deo dedicasse narrat: hic primum de totius collegii conventu audimus. Ad quem conventus locum fingendum sententias templo Apollinis Delphici inscriptas Platonem invitasse, infra demonstrabo (cf. p. 34 sq.). Convivii vero illius ab Ephoro traditi inventio ad exornandum alliciebat Graecos. Ad nos pervenit integer Plutarchi commentarius de septem sapientium convivio, quod fuit Corinthi apud Periandrum.[4]) Sed quaero, quisnam primus de hoc conventus loco cogitaverit. Nam ad ipsum Plutarchum eum referendum esse non crediderim. Tradit autem Theophrastus Peripateticus teste Athen. XI p. 463 C: *ἐποιοῦντο δὲ καὶ οἱ ἑπτὰ καλούμενοι σοφοὶ συμποτικὰς ὁμιλίας.* Cum igitur Ephorus de septem omnium convivio nondum narrasse putandus sit, ab aliis ante Theophastum — res per se probabilis — haec fabella amplificata esse videtur. Nonne igitur ultro se offert coniectura, ab Aristotele ipso, qui Periandrum septimum catalogo inseruit, septem sapientium collegium apud Periandrum sodalem convenisse memoriae traditum esse? Deinde vero Peripatetici, cum de compluribus conventuum vel conviviorum locis traderentur narrationes, eo progressi sunt, ut sapientes saepius

---

[1]) De quo cf. E. Schwartzii notam apud Pauly-Wissowa II 460.

[2]) Huc pertinet epistula ad septem sapientes a Periandro data (Diog. I 99; cf. Stettiner l. l. p. 4, 4).

[3]) De hoc cf. Busolt l. l. I p. 317.

[4]) De quo egit Hirzel l. l. II p. 137—148.

ad convivia congregatos esse probabile eis videretur.[1]) Quod ex impf. ἐποιοῦντο loci illius Theophrastei ab Athenaeo traditi sine dubio evadit. De qua Peripateticorum persuasione R. Hirzel l. l. p. 136, 1 optime dicit: *Wenigstens hat Theophrast sie sich als einen Thiasos vorgestellt: das ist die einfachste Deutung der bei Athen. XI p. 463 C aus seiner Schrift περὶ μέθης (fr. 120 W.) citierten Worte, die ihnen schon Bernhardy, Gr. Lg. I S. 342 gegeben hat. (Auch Plutarch Conviv. VII Sap. 2 p. 148 A kennt wiederholte Symposien der Sieben.) Hiermit stimmen die Vorstellungen anderer Peripatetiker überein.* Idem quid sibi velit nota Diogenis I 22 egregie explicat, cum dicat: *Wenn Demetrios von Phaleron, der Schüler Theophrast's, die Proklamierung ihrer Weisheit in einem und demselben Jahr, dem des Archon Damasias (Diels Abh. d. Berl. Ak. 1885 S. 11ff.), erfolgen lässt (Diog. L. I 22), so liegt dieser sonderbaren Angabe kaum ein anderer Gedanke zu Grunde, als dass der Thiasos auch sein Stiftungsjahr gehabt haben müsse. Um die Wahl dieses Jahres zu erklären dient, dass Solon damals, als er der Versuchung widerstand, sich zum Tyrannen auszurufen (Diels a. a. O. S. 13), die höchste Probe der Weisheit gegeben hatte (Plutarch Conv. VII Sap. 2 p. 147 C), dass Thales zu derselben Zeit die berühmte Sonnenfinsternis voraussagte (Diels a. a. O. 11, 2) und dass der στεφανίτης ἀγὼν in Delphi erneuert wurde, mit einem solchen Anlass aber die feierliche Verkündigung der Sieben als der Weisesten leicht verbunden gedacht werden konnte.* Singula vero talia convivia diserte descripta esse putaverim. Nam cum Plutarchum et in aliis libris (in vita Lycurgi, Solonis, Demosthenis, cf. Susemihl, l. l. I p. 494, 14) et in convivio septem sapientium Hermippo[2]) fonte

[1]) Eiusdem „*scholae sectatores conventus epulasque*" egisse, „*reges praetores patronos haud raro ad convivia litteratos clientes*" invitasse Lehrs De Arist. stud. Hom. p. 212 dicit sub textu adnotans: „*hinc fluxit persuasio septem sapientes non convenisse tantum, sed convivantes confabulatos esse*". De convivio, ut vidimus, prius cogitabatur. — Hirzelius l. l. II p. 138 dicit: *Durch die Vergleichung mit den Sophisten, vollends seit der Constituierung zur Tafelrunde, zum Thiasos, war auch die Vorstellung nicht bloss eines, sondern wiederholter Symposien gegeben.*

[2]) Hermippus (cf. Susemihl l. l. I p. 492—495, fragmenta in Frg.

effusius usum esse constet, me iudice veri non absimile est, Hermippum ex Theophrasto[1]) narrationem de collegii convivio apud Periandrum habito sumpsisse. Quod autem de Periandro dicebatur, etiam ad Cypselum patrem translatum est. Itaque Archetimus Syracusanus[2]) ὁμιλίαν αὐτῶν ἀναγέγραφε παρὰ Κυψέλῳ, ᾗ καὶ αὐτός φησι περιτυχεῖν (Diog. I 40). Sed fabellam de conventu quoque a Platone narratam, mutatam illam quidem, apud Plutarchum legimus, dico fabellam illam de E apud Delphos (cf. supra p. 27, 1), quae alibi non invenitur.[3])

Usque ad Aristotelis aetatem fabellam de septem sapientium canone fictam deduxi, ultra quem fabellam ipsam auctoribus non iam cordi fuisse ostendisse mihi videor. Tacui adhuc de sententiarum illa farragine, quibus inde a Demetrio Phalereo septem sapientium nomina praefixa sunt. De quibus diserte egit G. Brunco in Act. Sem. Phil. Erlang. III (1884) p. 299—383. Cum fabellis septem sapientium memoriam sustentantibus nihil est his sententiis[4]); sed quaero, quomodo factum sit, ut ad septem illos permulta haec dicta referrentur. De qua re aliquid concludi potest ex fabellis cum tribus illis sententiis con-

---

hist. gr. III, 35—54) quattuor ad minimum libros περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν (cf. frg. 20. Susemihl l. l. I p. 492, 9) scripsit. Ex quibus libris ad nos pervenerunt catalogus ille septemdecim virorum (Diog. I 42) et notae de Thalete, Solone, Periandro, Mysone, Chilone. Nos vero praeter convivium, de quo modo dixi, nonnulla deprehendimus, quae de Pittaco (cf. infra p. 41 adn.), de Anacharsidis cum Mysone conexu (cf. infra p. 39), praecipue de tripode (cf. p. 51) tradidit.

[1]) Catalogum librorum Theophrasti, quem apud Diog. L. V 42—50 invenimus, ab Hermippo ducendum esse evicit Usener Analecta Theophrastea, Lipsiae 1858 (cf. Susemihl l. l. I 494, 11).

[2]) Utrum Archetimus aetate quae dicitur Alexandrina an postea degerit, diiudicari non potest; cf. E. Schwartz apud Pauly-Wissowa II 460. De conexu, quem inter Archetimi et Plutarchi convivia indagasse Hirzelius sibi visus sit, cf. hunc l. l. II p. 138, 4.

[3]) De qua vide, quae Hirzel l. l. p. 146, 4 dicit.

[4]) Quamquam hoc illud dictum anteriore aetate sapienti ita attributum esse videtur, ut cum eius moribus consentiret vel dilucide eos ostenderet. Sic Pittacum ad edendam priscam illam sententiam, quam iam Simonides noverat (cf. supra p. 4) sua, ipsius vita invitatum esse homines, ut suspicor, in tradendo dicto sentiebant.

iunctis: *Γνῶθι σαυτόν, Μηδὲν ἄγαν, Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα*[1]), quas Brunco, ipse quidem hanc quaestionem movens, „*quomodo Graeci paulatim finxerint haec praecepta a VII sapientibus enuntiata esse*" in appendice p. 383—397 tractavit. Cum reliquarum sententiarum plurimae ex arbitrio sapientibus attributae sint, has tres praecipuum locum tenere iam ex hac re efficitur, quod non tribuuntur nisi illis quinque, quos per fabellam de tripode narratam memoriae tradi videmus.[2]) Brunco enim p. 386 statuit, illud *Γνῶθι σαυτὸν* adscribi Chiloni[3]), Thaleti, Soloni, Bianti, Pittaco (huic uno eoque incerto loco), *Μηδὲν ἄγαν* Chiloni, Soloni, Pittaco, *Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα* Chiloni, Thaleti, Bianti (huic uno loco). Idem ex ea re, quod Cleobuli vel Periandri haec praecepta esse nemo scriptor dicit, de minore horum sapientium auctoritate recte concludit, si quidem vox auctoritatis recte intellegitur. Nam cum dicta illa prisca esse inter omnes auctores constaret iidemque de sexto et septimo loco, cui viro esset attribuendus, inter se certarent, has sententias ad illos tantum referebant, de quibus collegii sodalibus dubitatio non admittebatur; simile quid evenit in fabella de tripode vel patera tradita (cf. supra p. 19). Originem vero harum sententiarum non ducendam esse de sapientibus iam Brunco p. 383 recte dicit, cum vetustissimi auctores, qui illas sententias proferant aut significent, eas septem sapientibus deberi non commemorent. Quos auctores Brunco affert, arbitratus ab oraculo Apollinis haec praecepta edita esse. Sed ne deus quidem praeceptorum auctor ab eisdem scriptoribus significatur; itaque Brunconis coniectura nullo vetere testimonio adiuvatur. Unde re vera haec dicta, quae multo ante septem sapientium aetatem templo Delphico inscripta erant[4]), orta sint, difficillimum est dictu: age

[1]) De huius sententiae verbis cf. Brunco p. 395.

[2]) De Aristodemo et Mysone praeter hos cum illa fabella coniunctis cf. supra p. 19.

[3]) Nomina sapientium in hunc ordinem se redegisse Brunco dicit, „*ut quo vetustior scriptor singulis sapientibus singula praecepta Delphica attribueret, eo priore loco eos proferret*".

[4]) cf. Ferd. Schultze in Philol. XXIV 196. Brunco l. l. p. 383 sq. Quamquam fabella de E apud Delphos Plutarchea, qua Schultzius argumento utitur, nihil effici potest, tamen Aristotelis testimonium (Porphyr. apud Stob. flor. III c. 21, 26 p. 579 Wachsmuth-Hense = Aristot.

vero videamus, quid de eorum auctore primum homines finxerint. Iam exeunte quinto saeculo de auctore quaesitum esse edocet nos Schol. Eurip. Hippol. 264, qui Critiam Lacedaemonio Chiloni dictum *Μηδὲν ἄγαν* attribuisse (cf. supra p. 3, 3) refert. Quod non vere traditum esse a scholiasta Brunco p. 384 adn. 35 contendit, cum Pindarus, quem ipsum quoque Brunco ad hanc sententiam refert (cf. supra p. 3, 3), nomen certi auctoris non proferat illudque dictum Ephorus et Aristoteles demum Chiloni adscribant: haec quidem postrema causa iusto debilior est neque illa altera quicquam efficere licebat Brunconi, qui verba *καὶ Πίνδαρος* cum enuntiato antecedente coniungit. Quod etsi ego non facio, tamen a Critia Chilonem pro auctore dicti, de quo res est, habitum esse mihi constat. Nam optime adiuvatur haec scholiastae nota, cum — id quod etiam Brunco p. 386 vidit — ipsi vetustissimi ceterorum auctorum Chilonem fuisse, qui praecepta edidisset, tradant. Neque equidem Platonem cum leg. XI p. 923 A praeceptum *Γνῶθι σαυτὸν* nominet *τὸ τῆς Πυθίας γράμμα* Pythiam dictum edidisse, sed plane idem his verbis significare voluisse existimo atque illis *τὸ ἐν Δελφοῖς γράμμα,* quibus is qui Anterast. 138 A scripsit usus est. Itaque Plato secum ipse non pugnat, cum Protag. p. 343 B tradat: *οὗτοι* (septem sapientes) *καὶ κοινῇ ξυνελθόντες ἀπαρχὴν τῆς σοφίας ἀνέθεσαν τῷ Ἀπόλλωνι εἰς τὸν νεὼν τὸν ἐν Δελφοῖς, γράψαντες ταῦτα, ἃ δὴ πάντες ὑμνοῦσι, Γνῶθι σαυτὸν καὶ Μηδὲν ἄγαν.* Quodsi Critiae praeceptum *Γνῶθι σαυτὸν* illis duobus *Μηδὲν ἄγαν* et *Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα,* quae ad communem vitae usum pertinent, antiquius et profundius esse videtur, cum Plato Charmid. 164 D de illo dicat: *καὶ ξυμφέρομαι τῷ ἐν Δελφοῖς ἀναθέντι τὸ τοιοῦτον γράμμα* (sc. *Γνῶθι σαυτὸν*). *καὶ γὰρ τοῦτο οὕτω μοι δοκεῖ τὸ γράμμα ἀνακεῖσθαι, ὡς δὴ πρόσρησις οὖσα τοῦ θεοῦ τῶν εἰσιόντων ἀντὶ τοῦ χαῖρε* et paulo inferius (165 A) . . . *ὃ δή μοι δοκοῦσιν παθεῖν καὶ οἱ τὰ ὕστερον γράμματα ἀναθέντες, τό τε Μηδὲν ἄγαν καὶ τὸ Ἐγγύη πάρα δ' ἄτη . . . εἰθ' ἵνα δὴ καὶ σφεῖς μηδὲν ἧττον συμβουλὰς χρησίμους ἀναθεῖεν, ταῦτα*

---

frg. 3 p. 25 Teubn.: *εἴτε καὶ πρὸ Χείλωνος ἦν ἔτι ἀνάγραπτον ἐν τῷ ἱδρυθέντι νεῷ μετὰ τὸν πτέρινόν τε καὶ χαλκοῦν, καθάπερ Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας εἴρηκεν*) non est neglegendum.

γράψαντες ἀνέθεσαν, conferas cum hoc discrimine, quae Aristoteles de harum sententiarum origine tradit (p. 37). Etiam hoc loco Platonem de homine, qui praecepta invenerit, non de deo cogitare videmus. Cum autem toti collegio sententias fabella tribuat, aperte dicit (Protag. 343 A): *οὗτοι πάντες ζηλωταὶ καὶ ἐρασταὶ καὶ μαθηταὶ ἦσαν τῆς Λακεδαιμονίων παιδείας;* nam ei maxime cum Lacedaemoniorum nomine acuminis virtutem coniunctam visam esse ex eis apparet, quae paulo antea (342 D) Socratem facit dicentem: *εἰ γὰρ ἐθέλει τις Λακεδαιμονίων τῷ φαυλοτάτῳ συγγενέσθαι, τὰ μὲν πολλὰ ἐν τοῖς λόγοις εὑρήσει αὐτὸν φαῦλόν τινα φαινόμενον, ἔπειτα, ὅπου ἂν τύχῃ τῶν λεγομένων, ἐνέβαλεν ῥῆμα ἄξιον λόγου βραχὺ καὶ συνεστραμμένον ὥσπερ δεινὸς ἀκοντιστής, ὥστε φαίνεσθαι τὸν προσδιαλεγόμενον παιδὸς μηδὲν βελτίω.* Quod vero Brunco, utpote qui ad deum haec praecepta reducere maluerit, sententiam suam adiuvat hisce verbis (p. 385): *„quamquam haec praecepta Apollini ipsi debebantur, tamen facillime fieri potuit, ut a VII sapientibus inscripta esse putarentur, praesertim quos cum Apolline Delphico coniunctissimos Graeci fingerent"*, videlicet cogitat, ut Bohren p. 60[1]), quem citat, de fabella illa de tripode narrata. Sed Platonis aetate in hanc fabellam deus, cui a postremo sapientium ut omnium facile sapientissimo praemium mitteretur, nondum invaserat; nam hanc dedicationem ab Eudoxi narratione afuisse supra vidimus. Non igitur a deo, sed a Chilone Lacedaemonio ad collegium sententiae illae transierunt. Itaque quod in excolenda collegii constituti narratione accidisse ostendi (cf. supra p. 8; etiam p. 30), idem hic nobis occurrit: quae anteriore aetate uni sapienti viro adscribebantur, postea, cum singulorum memoria obsolesceret, ad totum collegium delata sunt. Hirzelii igitur sententia dicentis: *Zunächst* (significat aetatem, qua sophistae in Graecia nondum florebant, alteram nimirum saeculi sexti, priorem saeculi quinti partem) *natürlich sind sie Repräsentanten der Weisheit des Volkes und verwalten dessen Sprichwörterschatz, verkünden*

---

[1]) Hic aperte dicit: *„facillime fieri potuit, ut ab ipsis septem sapientibus eas inscriptas esse narraretur, praesertim cum eos cum Apolline artissime coniunctos sibi cogitasse Graecos fabula, quae de tripode ferebatur, doceat".*

daneben aber auch als edelsten Kern desselben die Weisheit des delphischen Gottes (l. l. II 134), vera non est. Nam cum Delphica dicta quarti demum saeculi priore parte septem viris attributa sint, aetate demum posteriore sapientium nomina dictorum collectionibus (cf. infra p. 37) praefixa sunt. Quodsi Bergk l. l. II 412 dicit: *Charaktervolle Männer, welche damals als Gesetzgeber, Regenten oder sonst im öffentlichen Leben thätig waren, hatten diese Aufgabe deutlich begriffen und suchten nun, indem sie sehr wohl erkannten, dass selbst die beste Gesetzgebung unzulänglich sei, durch eine gesunde Moral auf das Volk einzuwirken. Dazu erschienen ihnen kurze Denksprüche als das geeignetste Mittel, wie ja seit alters diese Spruchweisheit bei den Hellenen hochgeschätzt wurde. Es sind praktische Lebensregeln, die einen klar-verständigen Geist atmen und von scharfer Beobachtung zeugen; in bündigster Form zusammengefasst, haften diese Sittensprüche leicht im Gedächtnis; sie wurden daher bald Eigentum der ganzen Nation und erhielten das Andenken jener verdienten Männer bei der Nachwelt. Mit Recht wurden jene vor allen andern Weise genannt*, et p. 414 veri non dissimile esse putat, ex his sententiis septem numero fictionem septem sapientium collegii fluxisse, coniecturae sunt, quae a vero valde dissentiunt. Atque tria quidem illa dicta in narratione, quae Platonis aetati proxima esse videtur, ad eundem virum cuncta deferebantur, de quo primo auctore homines narraverant. Nam fabellam illam apud Diod. IX 9, 1 perhibitam, Chilonem Delphos profectum columnae inscripsisse tria illa praecepta, ex Ephoro haustam esse cum Bruncone (p. 385) arbitror. Busolt enim, cum l. l. II p. 60, 1 in prima libri IX parte non semper, sed saepius cum Hermippo a Diogene Laertio aliis aperte laudato vel ibi latente Diodorum congruere animadvertat, hunc sua deprompsisse probabiliter putat ex auctore, qui Hermippo suo arbitrio usus interdum ab eo differat; sed quaero, num hic auctor ex suo ipsius ingenio Hermippum correxerit. Quod hoc loco, cum Hermippus (Bekker, Anecdota graec. I 233, 13) de eunucho Delphico narraverit, a quo dictum *Γνῶθι σαυτὸν* editum et templo Apollinis inscriptum esset, non fecit; nam fabellam tradit certe Hermippo antiquiorem. Videtur requisivisse fontem antiquiorem, cum Hermippi narra-

tioni satis absurdae fidem abrogaret. Itaque Ephorum, qui etiam in enarrando septem sapientium convivio Diodori auctor fuit, latere existimem;[1] hic igitur Critiae narrationem ex Platonica illa amplificavit. Aristoteles demum (Clem. Al. strom. I 14, 60 p. 351 Pott. = Aristot. frg. 3 p. 25 Teubn.) gravioris dicti *Γνῶθι σαυτὸν* deum[2]) esse auctorem tradit atque duo tantum illa dicta, quae restabant, cum Ephoro Chiloni vindicat, *Μηδὲν ἄγαν* in artis rhetoricae l. II c. 12 p. 1389 b 4, *Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα* in fragmento a Clem. Alex. strom. I 14, 61 servato (frg. 4 p. 26 Teubn.). Fabellae denique de editore sententiae *Γνῶθι σαυτὸν* aut Chilone aut deo coniunctae apparent apud Clearchum Solensem, qui testibus Stob. flor. III c. 21, 12 p. 558 sq. Wachsmuth-Hense: *οἱ πολλοὶ δὲ Χείλωνος εἶναι τὸ ἀπόφθεγμα, Κλέαρχος δὲ ὑπὸ τοῦ θεοῦ λεχθῆναι Χείλωνι* (idem Porphyr. ap. Stob. flor. III c. 21, 26 p. 579 Wachsmuth-Hense) et Apostolio VI, 42 (Frg. hist. gr. II 317 frg. 44 c) Chiloni *τὸ ἄριστον ἀνθρώποις μαθεῖν πυνθανομένῳ* (sic Porphyr. apud Stobaeum) pronuntiatum esse a deo illud *Γνῶθι σαυτὸν* tradidit.[3]) De fabellis eandem rem respicientibus paulisper mutatis cf. Brunco p. 318 sq. Postea autem, quandoquidem dictorum collectiones editae erant, inter quinque sapientes, de quibus saepius iam dixi, hae quoque sententiae distributae sunt. Locos huc spectantes accurate Brunco collegit, idem collectiones p. 299—383 diligenter tractavit: unde ad nostram quidem quaestionem nihil iam redundat.

Iam in eo est, ut fabellam de tripode narratam a primordiis, de quibus dixi, ad posteriora tempora deducam. Andronem et Hellanicum antiquissimam fabellae formam praebere, cum de migratione nondum cogitaverint, ostendi. Quid igitur de migratione censebimus? Quo modo eam ortam esse arbitrabimur? Cum Hellanici quidem narratio quae fuerit aperte traditum non

[1]) cf. etiam Klueber l. l. p. 7. Stettiner l. l. p. 12 sq.

[2]) cf. Cicero de leg. I 58: *cuius praecepti* (sc. *Γνῶθι σαυτόν*) *tanta vis et tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur.*

[3]) Aristagoras Milesius, qui non multo iunior Platone fuisse videtur (sic Steph. Byz. s. *Γυναικόπολις*; cf. E. Schwartz apud Pauly-Wissowa II 849 sq.), *τοῦτον τὸν τόπον* (sc. *τὴν βραχυλογίαν*) *Χειλώνειον καλεῖ* (Diog. L. I 72).

sit, Andronis fabella succurrat ad demonstrandum, qua ratione factum sit, ut illo tripodis certamine sapientes ex omnibus Graeciae regionibus arcessiti paulatim congregati sint. Angustioribus loci finibus Andronis narratio cingitur: Argivi praemium proponunt, vir Lacedaemonius primus accipit, viro Lacedaemonio nimirum libenter conceditur. Sed quinam sapientissimus esset admodum incerta res et difficilis diiudicatu videbatur. Itaque sententiarum quaedam diversitas iam in Andronis fabella indicari videtur, apud quem Aristodemus pro sapientissimo iudicatus praemium concedit (*παραχωρῆσαι*) Chiloni; qua diversitate latius grassante et ad totum collegium adhibita migrationem illam, quae iam apud Eudoxum extat, exortam esse consentaneum est.[1]) Sed cum Andronem collegium nosse, migrationem ignorare sciamus, collegii illius inventionem non ex migratione tripodis provenisse certum est; sed hae duae inventiones et septem sapientium collegii et tripodis viro sapientia praestantissimo donandi initio separatim perhibitae tertium auctorem, qui hominum dissensionem respiceret neque quenquam sapientium neglegere vellet, invitasse videntur ad eas coniungendas. Hic auctor fortasse Eudoxus fuit.

Eudoxi vero et Euanthis narratio (1 d) haec est: *τῶν Κροίσου τινὰ φίλων λαβεῖν παρὰ τοῦ βασιλέως ποτήριον χρυσοῦν, ὅπως δῷ τῷ σοφωτάτῳ τῶν Ἑλλήνων· τὸν δὲ δοῦναι Θαλῇ. καὶ περιελθεῖν εἰς Χείλωνα, ὃν πυνθάνεσθαι*

---

[1]) Quod Bohren l. l. p. 55 dicit: „*Celebratur igitur horum virorum modestia, cum se quisque eorum sapientiae praemio indignum existimet*“, equidem hoc sensu migrationem inventam esse minime credo, etsi posteriores auctores in tradenda narratione tale quid sensisse aperte legimus. Sic Valer. Max. IV 1 ext. 7 fabellam his verbis instruit: „*huius viri* (sc. Pittaci) *mentio fit, ut de septem sapientium moderatione referam*“ et migratio a Plutarcho Solon. 4 *διὰ πάντων ἀνακύκλησις καὶ ἀνθύπειξις μετ᾽ εὐμενείας φιλοτίμου γινομένη* nominatur. Hirzelii autem sententia: *Wenigstens scheint mir dies* (sc. septem illos praemio nemini concesso Socratica mente sese non *σοφοὺς*, sed *φιλοσόφους* esse confiteri) *der Grundgedanke der Erzählung vom Dreifuss und ihrer Varianten zu sein*, ita est corrigenda, ut Theophrasti demum aetate (cf. p. 42) fabella in hunc sensum amplificata esse putanda sit. Theophrastus enim eodem sensu, quo Aristoteles magister dictum *Γνῶθι σαυτὸν* profundius visum (cf. p. 37) ipsi deo tribuendum duxerat, sapientiae praemium deo deberi fabella professus est. Sed cf. infra p. 42, 2.

τοῦ Πυθίου τίς αὐτοῦ σοφώτερος· καὶ τὸν ἀνειπεῖν Μύσωνα, περὶ οὗ λέξομεν· περὶ αὐτοῦ δὴ τόδε ἀνεῖπεν ὁ Πύθιος·

Οἰταιόν τινά φημι Μύσων' ἐνὶ Χηνὶ γενέσθαι
Σοῦ μᾶλλον πραπίδεσσιν ἀρηρότα πευκαλίμῃσιν.

ὁ δ' ἐρωτήσας ἦν Ἀνάχαρσις. Qui versus ex Hipponactis loco (Diog. I 107) supra laudato:

καὶ Μύσων, ὃν Ὡπόλλων
Ἀνεῖπεν ἀνδρῶν σωφρονέστατον πάντων

perbene fluere potuerunt; sed inepte a Diogene hoc loco addita haec sunt: ὁ δ' ἐρωτήσας ἦν Ἀνάχαρσις, quae verba ad diversam eiusdem fabellae speciem pertinent. Teste enim Diog. L. I 106 Sosicrates,[1]) quocum consentit Diodorus IX 5, 2 (idem respicit Pausan. I 22, 8), narrat, Anacharsidem φρονοῦντα ἐπὶ σοφίᾳ μέγα (sic Diodorus) ex Pythia quaesivisse, εἴ τις αὐτοῦ σοφώτερος εἴη (Sosicr.) vel τίς ἐστιν αὐτοῦ τῶν Ἑλλήνων σοφώτερος (Diod.). Respondendi gratia editum esse illud oraculum modo citatum. Quo sensu haec fabella excogitata sit, Diodori verbis φρονοῦντα ἐπὶ σοφίᾳ μέγα manifeste indicatur: ideo, cum satis mirum sit Chilonem, unum de praestantissimis, aperte Mysone sapientia inferiorem iudicari, Anacharsidem vero et Mysonem inter eos fuisse constet, de quibus incerta res erat, uter collegio esset attribuendus, pro certo habeo hanc fabellam ante compositam Eudoxi narrationem notam fuisse. Fictam autem eam esse ab aliquo Platonis sectatore, Eudoxi aequali, contra Ephorum, qui teste Diog. L. I 41 pro Mysone Anacharsidem collegio intulerat, verisimile est; fortasse eum locus Hipponactis (cf. p. 27, 2) ad excogitandam hanc narrationem invitavit, quo Ephorum refutare posse sibi videbatur. Atque Eudoxus quidem Platonicus cum nostra fabella eam coniungendo narrationis acumen delevit. Recepta autem esse videtur ab Hermippo, ex quo Sosicrates et Diodorus eam deprompserunt. — Postea vero plura de Anacharsidis et Mysonis conexu fingebantur; ita narrat Sosicrates Rhodius apud Diog. I 106: Πολυπραγμονήσαντα δὲ ἐλθεῖν (sc. Anacharsidem) εἰς τὴν κώμην καὶ εὑρεῖν αὐτὸν θέρους ἐχέτλην ἀρότρῳ προσαρμόττοντα, καὶ εἰπεῖν· „ἀλλ', ὦ Μύσων, οὐχ

---

[1]) Vixit post Hermippum, quem laudat in libro Διαδοχαί (Susemihl l. l. I. 506).

ὥρα νῦν ἀρότρου". „καὶ μάλα, εἶπεν, ὥστε ἐπισκευάζειν"; quam fabellam paulisper mutatam de Chilone et Mysone, qui viri ex Eudoxi narratione arcessiti esse putandi sunt, perhibet Plutarchus in Aetiis Roman. 84. Afferenda denique est narratio Maximi Tyrii diss. XXX 1, quae Anacharsidem ad Mysonem devertentem huiusque sapientiam admirantem facit.

Paulum commutatam exhibent Eudoxi et Euanthis fabellam Daedalus atque Clearchus Solensis, qui phialam a Croeso missam esse Pittaco et deinde migrasse tradunt (1e). De phiala iam dixerat Hellanicus; Croesum, doni editorem, et migrationem Clearchus ex Eudoxo sumpsit; Pittacus vero apud hunc unum auctorem primus, qui phialam acceperit, nominatus ipsi Clearcho attribuendus est. Pittacum cum Croeso iam Herodotus I 27 coniunxerat, quem sequitur Diod. IX 25. Qui conexus aliis fabellis, quae Pittaci integritatem celebrabant, iam a Clearcho exornatus esse videtur. Legimus enim apud Diod. IX 12, 2, Croesum adhortatum esse Pittacum, ut ex aerario demeret quantum vellet, hunc autem repudiasse hisce verbis: καὶ νῦν ἔχειν, ὧν ἤθελε διπλάσια, et interrogatum a Croeso, quid illis verbis significare vellet, respondisse, ὡς τελευτήσαντος ἄπαιδος ἀδελφοῦ κεκληρονομηκὼς οὐσίαν εἴη τὴν ἴσην ἧπερ εἶχεν, ἣν οὐχ ἡδέως προσειληφέναι. Cum idem exhibeant Plutarchus De frat. am. 12 et Diog. L. I 75 (cf. etiam Diog. L. I 81: litterae a Pittaco ad Croesum datae), de Hermippo ut horum auctore cogitandum videtur (cf. infra p. 51). Cum autem in una Clearchi de phiala fabella Pittaco a Croeso patera mittatur, fortasse etiam huius de pecunia Pittaco a Croeso oblata narrationis auctor iam Clearchus censendus est. Nam Hermippum Clearcho fonte usum esse Wilamowitz in Hermae vol. XXV p. 225 sqq., ubi de cantilena illa molari agitur, probabiliter docuit.[1])

[1]) Huius cantilenae molaris (Plut. Sept. sap. conv. 14):

Ἄλει μύλα ἄλει·
Καὶ γὰρ Πιττακὸς ἄλει μεγάλας
Μυτιλάνας βασιλεύων

hanc historiam Wilamowitz exstruxit: verbis ἄλει (impf.) et βασιλεὺς demonstrari, multo post Pittaci aetatem canticum ortum esse; suspicatur, Clearchum Solensem Peripateticum, quem hac de Pittaci consuetudine narrasse ex Diog. L. I 81 (τούτῳ γυμνασία ἦν σῖτον ἀλεῖν, ὥς φησι Κλέαρχος ο φιλόσοφος) scimus, ipsum ab aliquo condiscipulorum Ere-

Hellanici fabellam, Bathyclem quendam pateram suis reliquisse et mandasse, ut praestantissimo sapientium viro, τῶν

siorum — Eresum oppidum de nostro Plutarchi loco Wilamowitzius arcessit — hanc cantilenam auditam memoriae tradidisse, Diogenem vero et Plutarchum ex Hermippo sua sumpsisse, cuius auctor noster Clearchus fuerit. Quod autem Pittacum molendi operi favere Clearchus tradit, non magni facit Wilamowitzius, cum ipsi Clearcho, talium corporis exercitationum sectatori, hoc tribuendum existimet. Receptum vero esse hoc in librum saeculo secundo p. Chr. n. celebrem *περὶ εὐτελείας*, similem illum quidem libro *περὶ τρυφῆς* vel alteram partem huius libri ab Athenaeo Aeliano aliis exscripti. In quo libro etiam cantilenam fuisse; quod etsi ex Aeliani verbis (Var. hist. VII 4) *ἦν δέ τι ᾆσμα ἐπιμύλιον οὕτω καλούμενον* effici non possit, tamen demonstrari loco Clem. Al. Paedag. III 10 p. 284 Pott.: *ἀλλὰ γὰρ μικροῦ δεῖν ἔλαθέν με εἰπεῖν ὁ Πίτταχος ἐκεῖνος, ὅτι ἤληθεν ὁ Μυτιληναίων βασιλεὺς ἐνεργῷ γυμνασίῳ χρώμενος*, ubi appareant verba cantilenae nostrae. Athenaeus autem tradit XIV 618 D: *ἱμαῖος ἡ ἐπιμύλιος καλουμένη, ἣν παρὰ τοὺς ἀλέτους ᾖδον, ἴσως ἀπὸ τῆς ἱμαλίδος.* — Quod de re ipsa, quae cantico continetur, Wilamowitzius dicit, hic exscripserim: *„Es liegt auf der Hand, dass sich die Eresierinnen mit ihrem erlauchten Kollegen von der Mühle über ihre schwere Arbeit trösten, dieser aber in das Renommée gekommen ist, im μυλὼν gearbeitet zu haben, weil seine hochadligen Feinde ihm seine niedere Herkunft vorwarfen; unleugbar führt er auch einen thrakischen Namen. Gewiss ist es für das Fortleben der geschichtlichen Erinnerung charakteristisch, dass noch fast zwei Jahrhunderte nach der letzten grossen Zeit Mytilenes der Hochmut des Adels seinen Stempel auf das Gedächtnis des Aesymneten Pittacus drückte, der doch gleichzeitig selbst zu einem Könige gleich den Penthiliden geworden war. Und es ist auch positiv belehrend, dass in Eresos sein Name im Volksmund fortlebte: Mytilene's Vorherrschaft über die aeolischen Städte (ausser Methymna) zeigt sich darin, wie ja auch Sappho, aus eresischem Adel stammend, in Mytilene's vornehmer Gesellschaft gleichberechtigt dasteht; nur wissen wir Genaueres über die Formen dieser Vorherrschaft zur Zeit noch nicht, deren Zusammenbruch den Sturz des Aeolertums bedeutet.“* — Necnon Clearchi, ut videtur, et certe Hermippi illa quoque narratio de Pittaco a Diod. IX 12, 1 tradita fuit, quae et ipsa eius integritatem laudibus effert, Pittacum terrae, quam pugna singulari (cf. etiam Plut. De Herod. mal. 15; Praecepta ger. rei publ. 27. Diog. I 75) Mytilenaeis expugnasset, dimidiam partem sibi a civibus suis oblatam repudiasse, cum diceret: *τὸ ἴσον ἐστὶ τοῦ πλείονος πλεῖον.* Quam Hermippi narrationem vix mutatam exhibet etiam Sosicrates apud Diog. I 75, cum per errorem ex fabella de Pittaco et Croeso narrata hoc dictum narrationi adfigat: *τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς πλεῖον.* Denique narrationem apud Diod. IX 12, 3 et Diog. I 76 (Heraclitus nescio quis laudatur; cf. Busolt l. l. II p. 60, 1:

σοφῶν τῷ κρατίστῳ, daretur, datum esse Thaleti, Maeandrius amplificavit migratione ex Eudoxo addita; quam ex Eudoxo sumptam esse a Maeandrio, hinc sequitur, quod inter auctores Maeandrio priores praeter Hellanicum unus Eudoxus invenitur, qui de Thalete primo, qui acceperit praemium, rettulerit (cf. tab. I). quo conexu deprehenso ne hoc quidem fortasse casui tribuendum est, quod hi soli, Maeandrius [1]) et Eudoxus, Chilonem in migrationem nominatim intulisse traduntur. Quod autem Thaletem pateram iterum exceptam *τῷ Διδυμαίῳ Ἀπόλλωνι* concessisse Maeandrius narrat, exitus ille a Theophrasto primo, ut iam dixi, fabellae affixus redit paulisper mutatus. Maeandrium secutus est Callimachus [2]) teste Diog. I 28 sq. Et consentiunt cum Diogenis narratione cetera Callimachi fragmenta huc pertinentia, quae legimus in Schneideri Callimacheis vol. II frg. 94. 96 (p. 259—261) et 89 (p. 254); ex Phoenicis Colophonii [3]) quoque

Hermippus liebte alles Mögliche zu zitieren) traditam Pittacum Alcaeum poëtam, quem cepisset, demisisse, cum diceret: *συγγνώμη τιμωρίας αἱρετωτέρα* (*κρείσσων* Diog.), quam cum Busoltio l. l. II p. 60, 1 Hermippo tribuo, ad Clearchum reduxerim. Omnibus his fabellis Clearchus Pittaci mores summis laudibus effert; ideo mirum non est, quod ei primo pateram concedi facit. — Ex fabella illa de Pittaco et Alcaeo narrata fluxit alia posterior, a Pamphila teste Diog. I 76 tradita, quae redolet Hermippum. Ubi Tyrrhaeus, Pittaci filius, a fabro Cumano in taberna tonsoris securi occisus esse fertur, Cumanos dedidisse, qui interfecisset, Pittaco; quem cum verbis *συγγνώμη μετανοίας κρείσσων* eum dimisisse.

[1]) Quamquam Diogenes l. l. nomina non affert; sed Callimachi fragmentum 89 (Schneider Call. II p. 254):

Σόλων· ἐκεῖνος δ' ὡς Χίλων' ἀπέστειλεν,

quod Scheider bene ita restituit: Thales Athenas *φιάλην* misit, nam ibi ei

[*εἶδετ' ἀξιώτερος δῶρον*]
Σόλων· ἐκεῖνος δ' ὡς Χίλων' ἀπέστειλεν,

etiam ad Maeandrium pertinet.

[2]) Qui cum Thaletem pateram iterum acceptam his verbis magni animi plenis

Θαλῆς με τῷ μεδεῦντι Νειλέω δήμου
Δίδωσι, τοῦτο δὶς λαβὼν ἀριστεῖον

Apollini misisse narret, sententiae aliquid aufert fabellae (cf. supra p. 38, 1), quanti faceret ipsius eruditionem professus (Hirzel l. l. II p. 135, 1).

[3]) Vixisse ante Theocritum putandus est, neque tamen ante Alexandrinam, quae nominatur, aetatem; cf. Susemihl l. l. I 229.

iambis huc pertinere videtur locus, qui apud Athen. XI 495 D invenitur, Thaletem primum pateram accepisse; breviter rem perstringit Plutarchus Conv. sept. sap. 13. Idem in Solone 4 dicit: *ταῦτα μὲν ὑπὸ πλειόνων τεθρύληται, πλὴν ὅτι τὸ δῶρον ἀντὶ τοῦ τρίποδος οἱ μὲν φιάλην ὑπὸ Κροίσου πεμφθεῖσαν, οἱ δὲ ποτήριον Βαθυκλέους ἀπολιπόντος εἶναι λέγουσιν*, attribuitque Croeso, ut Clearchus, pateram, poculum Bathycli.[1]) Tandem afferendum est parvum additamentum Eleusidis cuiusdam, de quo praeterea nihil scimus, *ἐν τῷ περὶ Ἀχιλλέως* et Alexandri Myndii[2]) *ἐν ἐννάτῳ Μυθικῶν*, qui teste Diog. I 29 narrant, Bathyclis filium Thyrionem fuisse, qui pateram circumportasset.

In omnibus fabellae formis, quae homine editore — dico de Bathycle aut Croeso — praemium migrasse narrant, poculum vel pateram hoc praemium esse animadvertimus; ac certe ne hoc quidem fortuito factum est, sed ostenditur, quam accurate scriptores traditas fabellae formas observaverint: quandoquidem Hellanicus Bathyclem pateram edidisse narraverat, nemo inventus est posteriorum, quin et ipse ad certum hominem hoc praemium (pateram vel poculum) referret, cum tripus ille, praemium cum altera nimirum scriptorum serie coniunctum, nusquam homini ut editori attribueretur.[3]) Ac postremum quidem, qui alteri illi

---

[1]) Vix opus est commemorare, facile scriptores, cum patera poculumque res simillimae essent, dubitare potuisse, utram harum Bathycli, utram Croeso attribuerent.

[2]) Qui vixit ante Ptolemaeum Chennum, a quo semel citatur (ap. Phot. bibl. cod. 190, 147^b 23 sqq.) et post Iubam regis anno 46 a. Chr. n. a Romanis superati filium, cuius libro *Λιβυκὰ* usus est, ergo ante medium primum p. Chr. n. saeculum; Callimachum ab eo exscriptum esse constat; cf. Susemihl l. l. p. 851. M. Wellmann apud Pauly-Wissowa I 1459 sq.

[3]) Quod Kleinius l. l. p. 175 nostram fabellam esse narrationem de rege Thulensi mutatam affirmat, longe reicienda haec coniectura debilissima, de qua multa verba non faciam. Patera vel poculum in omnibus narrationibus a certo homine eduntur neque umquam in mari inveniuntur, vel eo demerguntur: ubicumque vero de mari narratur, tripus praemium est. Quomodo igitur tripodis inventio fragmentum ad illas de poculo narrationes accomodandum nominare liceat, equidem non assequor. Accedit, quod tripus, de cuius inventione primum narrabatur, inscriptus fuisse ferebatur *τῷ σοφῷ* (p. 44). Fabella igitur de

fabellae speciei faverit, Callimachum inveniri vidimus; tum vero tripus florentibus adhuc fabellis de poculo vel patera narratis, ex narrationibus quibusdam antiquissimam fabellam sequentibus arcessitus, apud scriptores omnes, qui sequuntur, non iam ab alio sapientiae praemio demotus totam fabellae speciem mutavit. Nam non iam certus homo praemium edit, sed hoc una cum patera (vel poculo) removeri animadvertimus. Nova inventa sunt; excogitabat quispiam, in mari tripodem esse inventum. At tripus ille Andronis cui deberetur Argivi, qui id certaminis praemium proposuerant, constituerant; poculum vel pateram quis acciperet ille edixerat, qui emisit; idcirco, ut hoc in hac nova quoque fabellae forma exprimeretur, homines fingebant, verba *τῷ σοφῷ* illi tripodi inscripta fuisse. Manifeste ita enarratam invenimus fabellam a primo Phanodico [1]) apud Diog. I 31, tripodem aeneum, qui inscriptus fuisset *τῷ σοφῷ,* in mari Atheniensi inventum Bianti missum esse, qui (Diog. I 83) Herculi Thebano eum dedicaverit, cum ipse a Thebanis, qui coloniam Prienen misissent, originem duceret. Iam vero post Andronem reliqui omnes Thaletem primum, qui tripodem vel phialam acceperit, nominant praeter Clearchum, qui Pittaco, ut vidimus, hunc locum dedit, et duos viros, Phanodicum illum atque — Theophrastum, quem e Plut. Sol. 4 hoc narrasse scimus: *πρῶτον μὲν εἰς Πριήνην Βίαντι τὸν τρίποδα πεμφθῆναι, δεύτερον δ' ἐπὶ Μίλητον Θαλῇ, Βίαντος ἀποπέμψαντος· οὕτω δὲ διὰ πάντων πάλιν εἰς Βίαντα περιελθεῖν, τέλος δὲ εἰς Δελφοὺς ἀποσταλῆναι.* Cum igitur et apud utrumque Bias primus nominetur et Theophrastus quoque iam paterae vel poculi loco tripodem Andronis denuo in fabellam inferat, Phanodiceae narrationis priorem partem etiam Theophrasteam fuisse statuere non dubito. Phanodicum ergo a Theophrasto pendere certum est; sed confundit cum eius narratione aliam de Biante fabellam, cum teste Diog. I 82 sq. (cf. I 31) sic referat: inventum esse in

---

sapientiae praemio narrata Kleinius paucis verbis pessime abusus est; eidem simile quid evenisse in restituenda Apollinis Amyclaei sella ex Furtwaenglero l. l. p. 695 sqq. disco.

[1]) De quo vide Susemihl l. l. II p. 395 adn. 279 d; qui fortasse, quae fuit Boeckhii sententia, peculiarem librum de septem sapientibus scripsit; cf. etiam Bohren p. 19.

mari prope Athenas tripodem aeneum, cui inscriptum fuisset „sapienti“; Biantem autem, qui olim de puellis Messeniis optime meritus esset, cum eas bello captas redemisset et educasset et dote addita patribus (sic) remisisset, patre (sic) petente ab Atheniensium concilio tripodem accepisse, quem Herculi Thebano consecrasset. Ibidem (Diog. I 82) paulo commutata narratio refertur Satyri, qui puellas ipsas in Atheniensium concilio dicentes et a Biante Apollini tripodem dedicari facit. Deinde idem fere narrat Diod. IX 13, 1 sq., apud quem qui tripodem inveniunt non Athenienses sunt, sed Messenii piscatores: fortasse haec erat prior quaedam fabellae species; utrum cum hac narratione Theophrastea artius cohaeserit an cum illa Phanodici diiudicari non potest. Qua fabella de Biantis humanitate immixta ipse Bias ita primas partes agere iussus est, ut Phanodicus migratione ex memoria delapsa illum statim deo tripodem dedicasse narraret, nisi quod dixerit quispiam Theophrasti narrationem, utpote quae primum, qui tripodem accepisset, et ultimum, qui deo eum dedicasset, Biantem afferat, neglecta migratione non satis accurate a Phanodico et Satyro redditam esse. Fortasse hae duae causae, et quod apud Theophrastum Bias et primus et ultimus refertur, et quod nova fabella inserta ille etiam magis praevalebat, ad declarandam rem sine dubio satis miram, cum omissa migratione acumine quodam fabella privetur, adducendae sunt.

Sed accedit alia quaestio cum his fabellae de tripode auctoribus coniuncta. Quod enim apud Clearchum Pittaco primo praemium offertur, apud Theophrastum et Phanodicum Bianti, conexum horum quoque auctorum, cum ceteri omnes Thaletem primum nominent, deprehendere mihi videor; nam Bias et Pittacus saepissime in fabellis confunduntur. Herodotus enim I 27 de Biante et Pittaco eandem colloquii, de quo dixi, cum Croeso habiti narrationem ferri dicit. Cum autem Heraclitus ὁ δυσάρεστος apud Diog. I 88 Bianti cives suos agrum dedicasse tradat, qui appellatus esset τὸ Τευτάμειον, Plutarchus de Herod. malign. 15 Pittacum Phrynone superato tantum agri ipsi a civibus suis oblati, per quantum spatii iaculum mittere potuisset, accepisse narrat; quem agrum appellatum esse τὸ Πιττάκειον; similia de ἄγρῳ Πιττακείῳ refert Diogenes L. I 75. Deinde Plutarchus sept. sap. conv. 10 eandem de Pittaco et Alyatte

fabellam laudat, quam de Biante Diog. L. I 83 exhibet immixta insuper fabella de Thrasybulo et Alyatte apud Herodotum I 21 sq. narrata. Denique hic afferendi sunt loci Plutarchi De garr. 8 et Comment. in Hesiod. frg. 41 Dübner, ubi, cum Amasis ad Pittacum victimam misisset, ex quo *τὸ κάλλιστον ἅμα καὶ χείριστον* demeret, hic linguam desecasse narratur, et Sept. sap. conv. 2, quo loco Bianti idem adscribitur. Itaque, ut Maeandrii, Eudoxi, Callimachi de patera vel poculo narrationes, in quibus Thaleti primo praemium donatur, ad Hellanicum reduxi, Theophrasti fabellam, quae de tripode invento agit, nescio quo modo cum altero illo fonte antiquissimo — fabellam dico Andronis — coniunctam esse statuo: nam cum auctores Hellanico usi Thaletem celeberrimum retinerent, Aristodemi loco parum noti ab auctoribus, qui hanc narrationem exceperunt, Pittacus vel Bias suppositus est. Quos auctores secutus est Theophrastus, qui fabellis ab Hellanico oriundis commotus esse videtur, ut Thaletem in migratione secundum fuisse diserte narraret; ex eisdem auctoribus Clearchus Pittacum suum (cf. supra p. 41 sq. adn.) sibi deprompsit. Posteriores vero, qui de invento tripode narrabant, Thaletem ex altera illa scriptorum serie arcessitum ab alio demoveri non iam passi sunt. At tamen in horum migratione vestigia narrationum Theophrasti cett. manifesta inveniuntur, cum apud Valerium Maximum IV, 1 ext. 7, quem formam fabellae paenultimam tradidisse mox videbimus, in migratione Bias secundo loco nominetur, Pittacus tertio, apud Plut. Sol. 4, qui ultimam praestat speciem nostrae fabellae, secundus Bias afferatur (cf. tab. I).

Itaque Hellanico et Callimacho, Androne et Theophrasto ea aetas circumscribitur, qua duae illae fabellae species de tripode et de patera vel poculo narratae de principatu contendebant; quarum illa obsoluit, haec, ut mox elucebit, vicit, idonea visa, quae etiam magis exornaretur.

Iam Phanodicus et Diodori IX 13, 1 sq. auctor postremi occurrunt, qui ab initio manifeste expressum tripodis circummittendi finem *τῷ σοφῷ* perhibent: quomodo factum sit, ut hic tripus amitteretur, edocet nos locus Diog. L. I 31, ubi legimus: *ἔνιοι δέ φασιν ὑπὸ Περιάνδρου Θρασυβούλῳ πλοῖον ἔμφορτον ἀποσταλῆναι· τοῦ δὲ περὶ τὴν Κῴαν θάλασσαν ναυαγή-*

σαντος, ὕστερον εὑρεθῆναι πρός τινων ἁλιέων τὸν τρίποδα. Quam nonnullorum narrationem Phanodico posteriorem esse apparet, quippe quae explicare velit, quomodo tripus in mari inventus eo demersus sit. Ad quem finem advocatur familiaris ille conexus Periandri et Thrasybuli. Tradidit enim de horum necessitudine iam Herodotus (I 20), Periandrum illi id, quod ab oraculo Alyatti, regi Lydorum, qui Thrasybulo bellum intulerat, responsum esset, per nuntios indicasse, ut huius rei rationem haberet. Atque alia quoque de his viris fabella apud Herodotum iam extat V 92, Periandrum, cum ad tyrannidem pervenisset, ad Thrasybulum misisse, qui consilia de arte regnandi ab eo peterent; hunc autem ne uno quidem verbo nuntios edocuisse, sed cum per campum cum eis migraret, summum quemque culmum manu decerpsisse; neque fugisse Periandrum, cum nuntii nihil se referre posse rati reverterentur, quid ille significare voluisset. Eandem fabellam respicit Plut. Sept. sap. conv. 2, deinde diserte narratur a Dionys. Hal. ant. IV 56 et invenitur ap. Diog. L. I 100. Aristoteles, Pol. V (VIII) 8, 7 p. 1311a 20—22 et III 8, 3 p. 1284a 26—33 commutavit personas, cum Thrasybulum[1]) nuntios mittentem facit Periandro. — Facile igitur fieri poterat, ut in nostra quoque fabella exornanda mutuus ille usus horum virorum respiceretur.

Sed mutata hunc in modum fabella non iam apte de inscriptione poterat dici, cum tripodi Thrasybulo a Periandro designato per se nihil esset cum sapientiae praemio in medium proposito. Qua re factum est, ut hac nonnullorum mutatione illata de nova ratione cogitaretur, qua tripus sine inscriptione in mari repertus sapientissimo posset apte addici. Succurrit deus ipse, qui rogaretur; quo autem probabiliorem redderent causam dei rogandi, iniecerunt narrationem litis de tripode exortae, qualis, ut puto, alicubi inveniebatur. Itaque pervenimus ad narrationem (1a), quam Diog. L. I 27 sqq. in vulgus notam fuisse

---

[1]) Quis consilium dederit, in aperto est; nam ipsum nomen Θρασύβουλος ad componendam fabellam homines invitasse extra dubitationem stare videtur. — Aristoteles, qui inter Septem illos Periandrum primum numeravit, consilium nimirum huic tribuere maluit, quam Thrasybulo. Quid Aristoteles de eius tyrrannide cogitarit, de hac re cf. Busolt l. l. I p. 647 sq.

dicit (*τὰ δὲ περὶ τὸν τρίποδα φανερά*) et quae eadem fere extat in fragmentis Diod. IX 3, 1 et 3, apud Valer. Max. IV 1 ext. 7, Schol. Aristoph. Plut. 9. Narrat Diogenes iuvenes Ionicos a piscatoribus Milesiis iactum retis emisse; sed captum esse tripodem et controversia, utrorum esset, orta Delphos missum esse, ut oraculum consuleretur. Deum respondisse:

Ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς;
Τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτου τρίποδ' αὐδῶ.

Violentia quadam hanc controversiam ad iuris quaestionem pertinentem cum fabella nostra coniunctam esse nemo negabit: nam id quod oraculum consulentibus a deo respondendum erat, ut notus fabellae finis evaderet, nihil attinet ad litem apte dirimendam. Maxime conspicitur haec litis et responsi discrepantia apud illos scriptores, qui utrosque litigantes vindicias suas certis causis adiuvantes faciunt, id quod legimus ap. Schol. Aristoph. l. l.: *ἐφιλονείκουν οὖν περὶ αὐτοῦ, οἱ μὲν ἁλιεῖς, ὡς ἰχθῦς πεπράκασιν, οὐ τρίποδα· οἱ δὲ ἀγοράσαντες ἔλεγον, ὡς πᾶν τὸ ἀνιὸν καὶ πᾶν ὅ τι τύχοι ὠνήσαντο* et ap. Valer. Max. l. l.: *Extracta deinde magni ponderis aurea Delphica mensa orta controversia est, illis piscium se capturam vendidisse affirmantibus, hoc fortunam ductus emisse dicente.* Constat igitur, exorta iam illa fabellae specie, quam *ἔνιοι* apud Diog. L. l. narrant, narrationem apud Diog. I 27 sq. traditam esse excogitatam. Fuisse autem Milesios, qui ita refecerunt fabellam, ex verbis, quibus Diogenes I 27 narrationem suam instituit, discimus hisce: *τὰ δὲ περὶ τὸν τρίποδα φανερά, τὸν ..... διαπεμφθέντα τοῖς σοφοῖς ὑπὸ τοῦ δήμου τῶν Μιλησίων.* Thales enim Milesius fabellis illis ab Hellanico ducendis, ut vidimus, celebrabatur; sed accepisse praemium vir doctus ferebatur a Bathycle, deinde a Croeso, et ne Maeandrius quidem, quamvis ipse Milesius, Hellanici narrationem sequi dubitaverat. Deinde vero Milesii honorem doni civi suo illustrissimo propter egregiam sapientiam oblati ipsi quoque appetebant, ad quem finem nimirum recentissima fabella de tripode non iam inscripto perhibita usi sunt adinventa narratione, qua quomodo in ipsorum manus tripus incidisset, declarare enitebantur.

Sed hac quoque narratione sine dubio iuniorem invenimus nobis traditam a Diog. L. I 32 sq. (1 i), ubi haec extant: tripodem,

quem Vulcanus fabricatus esset, Pelopi datum esse donum nuptiale, qui Menelao eum reliquisset. Quem tripodem ab Alexandro una cum Helena ablatum ab hac in mare Coum deiectum esse dicente ὅτι περιμάχητος ἔσται. Postea retis iactum Lebedios a piscatoribus emisse, tripodem esse captum; lite exorta Lebedios, cum a Cois, ad quos piscatoribus accusatis rem detulissent, nihil impetrassent, Miletum ad oppidum principale confugisse auxilium petitum. Ac Milesios quidem, postquam frustra legatos misissent, bellum Cois intulisse. Tum demum, cum multi iam ab utraque parte occidissent, Delphos missum esse deum consultum. Responsum esse Cois:

Οὐ πρότερον λήξει νεῖκος Μερόπων καὶ Ἰώνων,
Πρὶν τρίποδα χρύσειον, ὃν Ἥφαιστος βάλε πόντῳ[1]),
Ἐκ πόλιος πέμψητε καὶ ἐς δόμον ἀνδρὸς ἵκηται,
Ὃς δεδάηκε τά τ' ὄντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα,

Milesiis:

Ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς;
Τίς σοφίῃ πάντων πρῶτος, τούτου τρίποδ' αὐδῶ.

Diodorus, qui IX 3, 2 eandem fabellae speciem respicere videtur, oraculum sic affert:

Οὔποτε μὴ λήξῃ πόλεμος Μεροπῶν καὶ Ἰώνων
Πρὶν τρίποδα χρύσειον, ὃν Ἥφαιστος κάμε τεύχων[1]),
Ἐκ μέσσου πέμψητε καὶ ἐς δόμον ἀνδρὸς ἵκηται,
Ὃς σοφίᾳ τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα προδέδορκεν.

Cum Diog. L. I 32 sq. consentit fere Plutarchus Sol. 4 et qui hunc descripsit Scholiasta Aristoph. equ. 1016; pertinet huc etiam fragmentum Diod. IX 3, 3 modo citatum et Auson. Lud. sept. sap. v. 165—174. Nam etsi apud Plutarchum certare dicuntur piscatores Coi et retis iactum emisse ξένοι ἐκ Μιλήτου, tamen hic quoque et utrique parti oraculum editum esse et Helena tripodem in mare iecisse χρησμοῦ τινος ἀναμνησθεῖσα παλαιοῦ narratur. Quae duae res ipsae certissime ostendunt hanc fabellam aetate ultimam ex traditis esse atque iuniorem quidem ea, quam Diog. I 27 sq. exhibet; nam ex ipsis oraculis patefit alterum, videlicet illud, quod apud Diog. I 27 sq. legimus, ante alterum fuisse promulgatum et haec verba εἰπούσης (sc. Helena) ὅτι

[1]) βάλε πόντῳ ad narrationem ipsam, quae Helenam tripodem in mare demergentem facit, non quadrat. Verius apud Diodorum κάμε τεύχων.

περιμάχητος ἔσται (sic Diog.) atque *χρησμοῦ τινος ἀναμνησθεῖσαν παλαιοῦ* (sic Plutarchus) manifeste demonstrant, auctoribus iam notam fuisse narrationem de lite propter tripodem exorta. Cur huic postremae fabellae narrationi bellum sit insertum, dubitari potest, sive quod bello addito rei maiorem gravitatem afferre volebant, sive quia discrepantiam, de qua supra dixi, lenire enitebantur. Nam si res primum ad bellum venerat atque ita causa controversiae plane e memoria delapsa erat, tum deus iuris quaestionem non iam respiciens aptius respondere potuit, sapientissimo tripodem esse dandum, quo responso illud certe assequebatur, ut belli causam de medio tolleret.

Quae ex migratione tripodis vel phialae discere possimus, maximam partem iam exposui. Nomina afferuntur (cf. tab. I) etiam Chilonis, apud solos Eudoxum et Maeandrium atque Callimachum (cf. supra p. 42, 1) etiam Solonis: hic in paenultima fabellae specie postremus occurrit, qui tripodem acceperit; nimirum celeberrimo illi legislatori homines praecipuum locum dare enitebantur. In ceteris fabellis — Eudoxum excipio — ad primum tripus revertitur, ab hoc numini dedicatur. Ac deus quidem, cui sit dedicatum sapientiae praemium, nominatur (cf. tab. I) Apollo Delphicus in eis narrationibus, ubi Bias vel Solo consecrant, Apollo Didymaeus, quippe cui prope Miletum oraculum fuerit, ubi Thales Milesius, nisi quod apud Plut. Sol. 4 Thales Apollini Ismenio, qui prope Thebas oraculum habebat, tripodem mittit. Quae narratio nescio quo modo cum Phanodici et Satyri fabella cohaerere videtur, qui Biantem Prienensem, cum Priene colonia sit Thebanorum, Herculi Thebano tripodem mittentem faciunt.[1])

Sed omnis excolendae qua vidimus ratione fabellae incitamentum unde sit repetendum, non iam potest dubitari. Nam quod complures Graeciae regiones honorem appetiisse vidimus viri ad collegium illustre praebendi (p. 29), non minus donum sapientibus oblatum permultae civitates ad se quaeque referre volebant. Itaque quandoquidem Argivos sapientissimo praemium propo-

[1]) Vel inde, quod diversi dei singulis fabellis inseruntur, sequitur, cum Apolline Delphico non tam arte cohaesisse sapientium collegium, quam R. Hirzel l. l. II 133 sibi persuasit (cf. supra p. 8 sq.).

suisse (1 f) narratum erat, Bathyclem Arcada id reliquisse (1 b), ab Atheniensium concilio addictum esse praestantissimo (1 h), piscatores Messenios (1 h), Milesios (1 a), Coos (1 i) in mari id invenisse, iuvenes Ionicos (1 a), Lebedios (1 i) fuisse, qui iactum retis emissent, comperimus. Necnon Sparta huic certamini interfuisse videtur, unde ab Alexandro ablatum esse donum ferebatur una cum Helena (1 i), quae postea *πλέουσα ἐκ Τροίας* in mare id deiecisset (1 i). Milesiorum autem, qui in paenultima fabellae specie soli Thaletem sapientissimum elegerant, atque Coorum certamen quoddam peculiare ex tradito eius exitu: *καὶ ἀμφότεροι συνήνεσαν Θαλῇ* (Diog. I 32) deprehendimus. Inde fluxerunt etiam duo illa oracula.

Restat, ut de re gravissima, verba faciam, postremas has fabellae formas quando fere ortas esse existimem: cum enim ex antecedentium narrationum auctoribus ipsis a Diogene Laertio citatis de fabellae aetate aliquid evinci potuerit, nunc quidem talia indicia desunt, nisi quod ante Diodorum ortas esse etiam ultimas fabellae species ab eo primum relatas certum est. Sed de fonte auctorum, qui ipsam recentissimam fabellam perhibent (Diod. IX 3, 2. Plut. Sol. 4. Diog. L. I 32sq.) dubitari nequit, quandoquidem Wilamowitzius in Hermae vol. XXV p. 226 docuit ab Hermippo Callimachi discipulo ducendum esse, quidquid Diodorus in libro IX, Plutarchus in Solone, Diogenes Laertius congruens exhiberent. Unde Hermippus sua hauserit, num ipse quoque pauca addiderit, nescimus; sed dubium non est, quin narrationis fundamentum, quod iam ultimam formam praestitisse putandum est, ex fontibus recentioribus deprompserit, cum ante Theophrastum et Maeandrium (cf. p. 48), hoc est ante extremum saeculum quartum, initium tertii, certe ne paenultimi quidem ordinis fabellas collocare liceat. Utrum vero Callimachi, qui Maeandrium secutus est, aetate omnes hae recentiores fabellae species iam notae fuerint, pro certo dici nequit; at veri non dissimile esse videtur, cum Hermippi Callimachei narratio iam ex traditis aliis fabellis similibus fluxerit. Qui Theophrastum secutus est Phanodici incertior aetas est quam ut ex eius narratione quicquam concluserim. Coeperunt igitur homines extremo saeculo quinto de hac fabella cogitare, exeunte saeculo tertio a Chr. n. excoli desiit.

Ta


Narrationis auctor	praemium	unde praemium provenerit	cui destinatum fuerit
Andro ap. Diog. I 30 [1 f]	τρίπους	Argivi proposuerunt ἆθλον ἀρετῆς	τῷ σοφωτάτῳ τῶν Ἑλλήνων
Hellanicus (v. Maeandrium) [1b]	φιάλη	Bathycles Arcas reliquit	σοφῶν τῷ πρωτίστῳ
Eudoxus [1d] (et Euanthes) ap. Diog. I 29 sq.	ποτήριον χρυσοῦν	Croesi amicus quidam ab hoc accepit, ut daret sapientissimo	τῷ σοφωτάτῳ τῶν Ἑλλήνων
Clearchus Solensis [1e] (et Daedalus) ap. Diog. I 30	φιάλη	a Croeso	Pittaco
Theophrastus [1a] ap. Plut. Sol. 4	(τρίπους χαλκοῦς)	(περὶ τὴν Ἀθηναίων θάλασσαν εὑρεθείς)	(τῷ σοφῷ)
Phanodicus [1h] (Satyrus) ap. Diog. I 31. 82 sq. Diod IX 13	τρίπους χαλκοῦς	περὶ τὴν Ἀθηναίων θάλασσαν εὑρεθείς	τῷ σοφῷ
Diodori IX 13, 1 sq. auctor [1h]	τρίπους χαλκοῦς	σαγηνεῖς Μεσσήνιοι ἀνείλκυσαν	τῷ σοφωτάτῳ
Maeandrius [1b] ap. Diog. I 28 sq.	φιάλη	Bathycles Arcas reliquit	τῶν σοφῶν τῷ πρωτίστῳ
Callimachus [1b] ap. Diog. I 28 sq. Call. frg. 89. 94. 96.	φιάλη	Bathycles Arcas reliquit	τῶν σοφῶν τῷ πρωτίστῳ
Phoenix Colophonius [1b] ap. Athen. XI 495 D (frg.)	πελλὶς χρυσῆ	—	—
Eleusis quidam et Alexander Myndius ap. Diog. I 29 (frg.) [1c]	—	—	—
ἔνιοι [1g] ap. Diog. I 31	τρίπους	in mari Coo inventum narratione, quomodo eo demersum sit, addita	—
auctores [1a] apud Diog I 27 sq. Diod. IX 3, 1 et 3 (frg.) Valer. Max. IV 1 ext. 7 Schol. Aristoph. Plut. 9	τρίπους (χρυσοῦς Schol.; *magni ponderis aurea Delphica mensa* Val. Max.)	iuvenes Ionici a piscatoribus Milesiis iactum retis emerant, quo tripus captus est; de quo controversia orta deus rogatus est, cui fieret.	omnium sapientia praestantissimo
Hermippi [1i] auctor ap. Diog. I 32 sq. Diod. IX, 3, 2 (frg.) Plut. Sol. 4 Auson. lud. septem. sap. 165—74 Schol. Aristoph. equ. 1016	τρίπους (χρυσοῦς Plut. Schol.)	cum a piscatoribus (Cois Plut. et Schol.) Lebedii (ξένοι ἐκ Μιλήτου Plut. et Schol.) retis iactum emissent, tripus ab Helena in mare Coum deiectus captus est. Controversia orta res ad bellum Milesiorum contra Coos gestum pervenit. Deus rogatus est.	Oracula duo edita sunt, alterum Milesiis, alterum Cois. Destinatus est tripus viro sapientissimo

bella I.

quis primus acceperit	per quorum manus migraverit	quis homo ultimus acceperit	cui deo dedicatum fuerit
Aristodemus	Chiloni ab Aristodemo concessum	—	—
Thales	—	—	
Thales	περιῆλθεν ad Chilonem	Myso Chilone deum consulente longe sapientior significatus	
Pittacus	περιενέχθη (nomina desunt)	—	—
Bias	Thales secundus accepit; per omnes migravit	Bias iterum accepit	εἰς Δελφούς
Bias	nova de Biante inserta fabella; migratio neglecta est	—	Bias ἔφη τὸν Ἀπόλλωνα σοφὸν εἶναι οὐδὲ προςήκατο
Bias	eadem de Biante fabella	—	—
Thales	Diogenes nomina non tradit	Thales iterum accepit	τῷ Διδυμαίῳ Ἀπόλλωνι
Thales	ad Solonem patera pervenit, qui Chiloni eam misit (frg. 89)	Thales iterum accepit	τῷ Διδυμαίῳ Ἀπόλλωνι
—	Thales ἔλαβε	—	—
—	Θυρίων, Bathyclis filius, pateram circumportat	—	—
—	—	—	—
Thales	per omnium manus migravit; Diogenes, Diodorus } nomina non afferunt; Valerius Max: Thales Bianti, hic Pittaco cessit	Diog., Diod., Val. Max. } Solo	Apollini Delphico (Apollini Diod.)
Thales	per omnium manus migravit; Plutarchus et Schol. secundum Biantem nominant	Diog., Plut., Auson. } Thales iterum accepit [Schol. Arist. recte: εἰς ὃν ὕστατον ἐπέμφθη, τινὲς μὲν Θαλῆν, τινὲς δὲ Βίαντα, εἰσὶ δ' οἳ καὶ Σόλωνα ἱστορήκασι.]	Diog.: Apollini Didymaeo; Plut. et Schol.: Thebas missus est tripus Apollini Ismenio

Tabella II.

(Stemma auctorum.)



CONRADUS HAYM:

DE PUERORUM IN RE SCAENICA GRAECORUM PARTIBUS

Fabulas Graecorum si quis recte vult intellegere et aestimare, ei id imprimis tenendum est, ludos scaenicos Atheniensium, quibus illae fabulae erant destinatae, partem effecisse magnarum, quae quotannis Libero habebantur, feriarum. Eo enim maximam partem certae illae et quasi rigidae fabularum formae, quae a nostrorum poetarum licentia mirum quantum abhorrent, referendae sunt. Nam poetae in componendis fabulis non solum reverentia quadam prisci moris ducti, sed etiam eorum subsidiorum, quae ad ludos instituendos sollemniter praebebantur, certo modo astricti, pristinas illas formas religiose servaverunt. Tamen in ipsis illis angustis finibus progressum quendam fieri cognosci potest. Nam praeterquam quod subsidia illa per temporum cursum paullo aucta sunt, poetae certis temporibus novos colores sive artificia scaenica fabulis suis adhibuerunt, post aliquod tempus, quae antea novaverant, saepe reiecerunt. Nam multum valuit etiam in fabulis componendis usus tyrannus, qui, quae ipse peperit, mox idem delere solet. Moneo de Charonis illa scala, quod artificium olim in apparatu scaenico praecipuum locum tenuisse, postea sensim neglectum esse nuper Robertus[1]) ostendit. Multa alia possum afferre. Similiter puerorum quoque in fabulis partes, quas mihi tractandas proposui, certo quodam tempore in gratia et honore fuisse, postea spretae et abiectae esse videntur. Iam vero iis artificiis diligenter observandis si poetarum usum eiusque vicissitudines constituerimus, apparet nos ad singulorum non solum poetarum indoles, verum etiam ad totius artis dramaticae gradus ac processus vere cognoscendos aliquid profecturos esse. Itaque si hunc, quem mihi examinandum proposui, singularem morem scaenicum, pueros in scaenam inducendi, cum aliquo fructu perquirere atque explicare contigerit, paullulum

[1]) Herm. XXXI, p. 538 sqq.

ad eam, quam in tractanda Graecorum tragoedia Wilamowitzius philologiae viam monstravit, muniendam contulisse mihi videbor. Occurrunt autem hae potissimum quaestiones: Num revera pueri eas minorum natu partes susceperunt, aut cuius aetatis fuerunt ii pueri, qui in scaena egerunt? Quo tempore aut a quo primo pueri sunt inducti? Quamdiu puerorum partes in honore fuerunt? Quomodo per temporum progressum sunt excultae? Quatenus quove consilio poetae iis usi sunt?

Primum igitur ut firmum toti quaestioni substruamus fundamentum, ea puerorum inductorum exempla, quae in superstitibus fabulis exstant, perlustremus atque colligamus. Cum enim non ubique, quid voluerint poetae in scaena fieri, plane sit dilucidum, accurata imprimis opus est verborum traditorum interpretatione. Qua in re haec maxime quaerimus: quando prodeant pueri? quamdiu morentur in scaena? si plures, quot sint? quid agant? num quid loquantur vel canant? quomodo canant, coniuncti an soli?

In septem Aeschyleis tragoediis puerum nullum videmus.

Apud Sophoclem primum in **Antigona** [1]) puerum invenimus, dico eum, quo Tiresias caecus duce utitur. Quamvis ille non inter personas fabulae sit habendus, tamen prodit in scaenam (989—1090); item in Oedipo rege a puero (444) Tiresias ducitur. Nimirum talis puer intellegendus est, quales sollemniter

[1]) Antigonam Aiace antiquiorem esse ex nonnullis artis proprietatibus sequitur: ita Wilamowitzius (An. Eur. p. 195) ostendit, Antigonam unam ex Sophocleis fabulis antilabis carere; item Antigona monodiis caret, quae occurrunt in Alcestide et Aiace. Aiacem autem Alcestide recentiorem esse Wilamowitzius (An. Eur. p. 255) suspicatus est ex Ai. 1297. Quod vero Robertus ostendit (Herm. XXXI, p. 530 sqq.), Aiacem exhibere scaenicum apparatum sane antiquum, inde eam fabulam Sophoclearum antiquissimam esse concludi nequit, siquidem non idem omnibus fabulis apparatus convenit.

sacrificantibus ministrabant, quod sequitur ex Tiresiae verbis his (1012/13):

τοιαῦτα παιδὸς τοῦδ' ἐμάνθανον πάρα,
φθίνοντα σεμνῶν ὀργίων μαντεύματα.

Tales camillos, qui videntur epheborum aetati propiores fuisse, saepe videmus in monumentis pictis. Quamvis igitur hic puer fortasse servus sit cogitandus, tamen voce illa „*παῖς*" servum signari, non puerum, nego, universum et Sophoclis et Euripidis sermonis usum secutus, qui servos non nisi *δμῶας* sive *προσπόλους* sive *δούλους* appellent, tragicae dictioni illud *παῖς* non convenire arbitrati: minus fastidiosus Aeschylus.

In **Aiace** Sophoclis Eurysacem Aiacis filiolum, quamvis mutum, iustas partes agere videmus, namque arto cum ceteris personis vinculo coniunctus est, de qua re infra fusius disputabitur. Eurysacem ipse poeta puerum nominari fecit v. 340 et 575. Adducitur, non portatur, a servis (544); ut enim omnino in hac fabula non ita parvus atque debilis depingitur, sic hac in scaena quoque eum pedibus ambulare verba poetae patefaciunt (541 sqq.):

ΤΕΚ. *δεῦρο προσπόλων*
ἄγ' αὐτὸν ὅσπερ χερσὶν εὐθύνων κυρεῖς.
ΑΙ. *ἕρποντι φωνεῖς; κτλ.*

attollitur v. 445 sqq. in eccyclema, ubi sedet pater tanquam in tentorio inter caesas pecudes. Non enim possum iis assentiri, qui grammaticorum parepigraphis neglectis eccyclema in fabulis superstitibus usurpatum esse negant.[1]) Non in genua iubere Aiacem filiolum attolli, ipsius declarant verba (545 sq.):

αἶρ' αὐτὸν αἶρε δεῦρο· ταρβήσει γὰρ οὔ,
νεοσφαγῆ μου τόνδε προσλεύσσων φόνον.

Cum enim in ipso tentorio pecudes illae sanguine perfusae iaceant, voce illa *δεῦρο* tentorii interiorem partem, quae eccyclemate repraesentatur, significari apparet. Ita tantummodo intellegi potest, quod pater dicit filium suum horribili aspectu non territum iri, sc. si tentorium intraverit. Cum autem omnes praeter Aiacem personae extra tentorium sive eccyclema cogi-

[1]) Cf. Neckel, Das Ekkyklema, Progr. Friedland. (Obotrit.) 1890 et Dörpfeld-Reisch, Das griechische Theater, Athen 1896, p. 234 sqq.

tandae sint, puero aut ipsi eccyclema ascendendum est, aut ab alio aliquo tollatur necesse est. Non tam humile hac quidem in tragoedia fuisse illud vehiculum, ut non puer eo deberet attolli, vel inde fit probabile, quod per hanc fabulam neque ex eccyclemate in orchestram descenditur, neque ascenditur ex orchestra in eccyclema:[1]) Aiax invehitur solus v. 595; Tecmessa redit in tentorium v. demum 685, quo iam revolutum est eccyclema. Demitur puer de eccyclemate v. 578 sqq.; in scaena manet fortasse cum matre usque ad v. 685, quo Tecmessa in tentorium ab Aiace mittitur. Iterum puer cum matre introit scaenam v. 1168, manetque ad finem. Quin etiam paullum agere cogitandus est, scilicet Teucer eum supplicem ad patris mortui corpus collocat capillos trium supplicum manibus tenentem (1171 sqq.). Postremum, cum patris corpus auferatur, ipse quoque patrem tangens pietatis officium praestat.

In **Oedipi regis** initio Sophocles magnam puerorum turbam prodire iussit, quos sacerdos supplices, ut regem de avertenda peste interpellarentur, ante arcem regiam duxit. In aris sedent (16), nimirum ramos lana obvolutos manibus tenentes. Decedunt cum sacerdote v. 150. — Praeterea in fine fabulae in scaenam prodeunt duae Oedipodis filiolae, quas, etiamsi non nominantur, Antigonam et Ismenam esse non falso putabimus. Accurrunt (1471) a Creonte evocatae, pater eas manibus tangit atque permulcet (1468, 1481). In fine fabulae de scaena decedunt. Mutae sunt, sicut omnino pueri quos novimus Sophoclei; p u e r o s, non p u e l l a s, eorum personas induisse, ex sollemni tragoediae more sequitur.

Transeamus nunc ad E u r i p i d e m, cuius in fabulis percensendis eum temporum ordinem sequar, quem Wilamowitzius in Analectis Euripideis et in Hercule suo et testimoniis et coniecturis nixus constituit.

Iam in antiquissima quam habemus fabula, **Alcestide**, videmus duos pueros prodeuntes, filiolum dico filiolamque Admeti

[1]) Contra Robertus (Herm. XXXI, p. 537) putat eccyclema sane humile fuisse. Sed dubitari potest, num eadem omnibus temporibus forma eccyclematis fuerit.

et Alcestidis. Prosequuntur cum patre matrem moribundam, dum e domo egreditur, ut supremo coelum solemque salutet (233). Nominibus pueri in fabula carent. Putandi sunt ad lectum matris procumbere, manus ei protendere, qualia in sarcophagis Romanis ficta videmus. Postquam Alcestis supremum spiritum efflavit, puer canticum profert matris mortem deplorans. Domum redeunt pueri, ut opinor, v. 434, cum patre. Postea in funere iterum eos in scaenam prodiisse statuendum est.

Deinde in **Medea** Euripidis habemus duos pueros, filiolos Medeae et Iasonis, qui initio fabulae (46) a paedagogo ducti adveniunt, ut videtur ex palaestra; in scaena morantur usque ad v. 95; tum enim a nutrice in domum mittuntur. Iterum prodeunt a matre evocati v. 894, ut patrem salutatione ac blandimentis commoveant. At pueri muti, ut omnino dum in scaena versantur. Mittuntur deinde cum donis illis perniciosis ad Creontis filiam (956) patrem sequentes (cf. v. 1137); ut omnino hoc potest observari, pueros tragicos solere in scaenam prodire non nisi ab adultis hominibus comitatos, cui legi unum illum locum video obstrepere, quo Medea liberos insontes aspiciens diversis animi motibus distrahitur, donec dirum scelus perficere decernat (1019—1080). Ibi enim paedagogi praesentia non potest tolerari, itaque in domum mittitur v. 1019. — Sed, ut redeamus, unde sumus digressi, pueri ex domo redeunt cum paedagogo v. 1002, qui pro eis verba facit (pueri enim muti). Iam sequitur ea scaena, de qua modo diximus. Permulcere, osculari, amplecti matrem liberos clare dicit poeta vv. 1070 sqq.; tamen eam pueros sustulisse vix crediderim, quia non ut infantes vel trimuli sunt cogitandi, sed paullo iam maiores, de qua re infra disputandum erit.[1]) Post v. 1080 pueri domum ingressi non iam aspiciuntur, voces auxilium petentium post scaenam audiuntur vv. 1271—72 et 1277—78, qui trimetri inter dochmios chori inserti sunt. In fine corpora caesorum in curru anguibus sublato apparent. Vides, quam multa nec levia in hac tragoedia poeta pueris agenda imposuerit. Neque enim satishabuit eos

[1]) Wilamowitzius (Herm. XV, p. 497), eumque secutus Arnimius (Ed. Med. ad v. 905) ad v. 905 adnotant, Medeam alterum puerum sustulisse atque saviasse cogitandam esse; itaque pueros illi putant fuisse trimulos vel quadrimulos; quam opinionem infra examinabo.

semel ante mortem spectatoribus ostendisse, sed totam per fabulam eos tali artificio actioni intexuit, quale antea neque apud Sophoclem neque apud Euripidem videramus. — At iam trimetros illos puerorum clamantium propius contemplemur necesse est. Nauckius enim (Eur. Stud. I, p. 136) versum 1272, quo alter puer alteri respondet, ut interpolatum eiecit, his argumentis nixus: duos illos pueros coniunctos agere atque unam tantum personam repraesentare. Tales autem personas coniunctas non solere tragicos separatis sermonibus discernere. At ex Dioscuris, quos sententiae suae probandae causa affert Nauckius, alter tantum erat histrio legitimus (in Electra quidem aliter fieri non poterat); itaque vel propterea alter mutus. Eadem res est in Heraclidis, ubi ex Thesidis alter, Acamas, est muta persona, quia ab histrione non repraesentatur. Videmus autem poetas bene sensisse, quantum haberet offensionis coactum illud silentium, namque semper aliquam eius causam afferre conantur: velut in Heraclidis 144 sqq. Demophon legitimus terrae dominus dicitur, cui lis illa ad decernendum committenda sit. — Prorsus aliter res se habet in Supplicibus, quam praeterea affert Nauckius. Illi enim pueri omnino excedunt legitimum actorum numerum; canunt autem, quod infra docebo, ut omnino chori, una simul omnes voce. Eiusdem generis actorum, quod *παραχορήγημα* dicitur, etiam Alcestidis et Medeae bini liberi sunt. Eorum tamen partes ea re differunt inter se, quod Alcestidis filius in ipsa scaena, Medeae pueri post scaenam verba faciunt. Quodsi reputaverimus, poetas omnino pueris raro, rarissime singulis verba facienda tribuisse, non mirabimur, ex Alcestidis pueris alterum tantum cecinisse, non sororem fratrem cantu excepisse; nam illi palam et cum aliqua actione canendum fuit. Nam propterea alterum silere, ne singuli ut diversae personae designentur, ipse pueri refutat cantus, cum canendo suam propriam agat causam, suam sortem deplorans, sororem simul alloquens (cf. vv. 406 sqq.). At Medeae pueri in scaena omnino sunt muti: nonne veri est simillimum, histrionem aliquem pro iis clamasse, siquidem satis magna sane voce, quam puero non concedemus, opus erat, ut ex scaenae aedificio in toto theatro verba perciperentur? Iam quod poetas non facile singulis pueris verba facienda tribuisse vidimus, hoc

non impedit, quominus Euripidem hoc loco colloquium puerorum induxisse credamus. — Itaque omnibus iis exemplis, quae cadere videbantur in legem illam Nauckianam, diligenter examinatis, aliis alias condiciones subesse cognovimus, quibus non respectis non potest certa lex constitui. Omnino autem in talibus legibus dramaticis statuendis, quae est testimoniorum penuria, summa cautione opus est. Fac non servatam nos habere Aeschyli Agamemnonem, nonne facile legem illam in vetere tragoedia valere coniceremus, nequaquam licere chori singulas personas separatis earum sermonibus designari atque discerni? At ibi poeta, ut senum animorum perturbationem depingeret, arte illa ad eum finem unice accommodata usus est. Quid? cum pueri a matre caedantur, nonne ibi quoque condicioni est aptum singulos clamare? Restat igitur ex argumentis Nauckianis hoc unum, quod ipse non magni facit, versum ipsum illum, quem eiciendum censet:

οὐκ οἶδ' ἀδελφὲ φίλτατ'· ὀλλύμεσθα γάρ

Euripidis ingenio non esse dignum. At quis ubique diiudicare audeat, quid poetae possit tribui, quid non? Sed haud scio an si vere Graece sentiamus, minus offendamus in illius versus sobrietate. Imprimis enim hoc monendum est, Graecorum particulam *γὰρ* non tantam quantam nostram „denn" habere logicam, ut ita dicam, vim. Similiter infra pueri clamant (1277):

ναί, πρὸς θεῶν, ἀρήξατ'· ἐν δέοντι γάρ.

Utut autem haec se habent, versu 1272 omisso, unus tantum puer clamat, quod obstrepit chori verbis his (1273):

ἀκούεις βοὰν ἀκούεις τέκνων;

Quamvis enim Wilamowitzius hoc admitti posse dixerit (secundum legem, quam de dirimendis trimetris constituit, An. Eur. p. 194 sqq.) versum 1271:

οἴμοι, τί δράσω; ποῖ φύγω μητρὸς χέρας;

inter duos pueros distribui, tamen mihi videtur, si Euripides voluisset revera colloquium fingere, clarius duas personas distinxisset. Ubicunque enim occurrunt trimetri ita dirempti, evidenter signatur colloquium, ita ut alter alterum appellet sive roget sive moneat, cf. e. g. Alc. 390 sq.:

ΑΔ. βλέψον πρὸς αὐτούς, βλέψον. ΑΛ. οὐδέν εἰμ' ἔτι.
ΑΔ. τί δρᾷς; προλείπεις; ΑΛ. χαῖρ'. ΑΔ. ἀπωλόμην τάλας.

Ille vero versus prorsus aliam habet speciem, ita ut iam omnibus impedimentis remotis equidem, donec non certiora me refellant, versum illum in pristino loco retinendum censeam.

In **Andromacha**, quae secundum scholiastam videtur sub initium belli Peloponnesiaci docta esse, habemus puerum canentem, ergo *παραχορήγημα*, filiolum dico Andromachae, quem ex Neoptolemo peperit. V. 309 a Menelao in scaenam adducitur, ubi putandus est ab ipso Menelao aut servo aliquo teneri, donec mater, ut pro eo moriatur, de ara descendat (411). Certe non ea solum re, sed etiam osculando permulcendo maternum suum amorem spectatoribus ostendit. V. 463 ambo in domum eunt. V. 494 redeunt morte damnati. Sequitur cantus amoebaeus matris et filii. V. 529 parvulus, qui non ut mater vinctus est, genua Menelai amplectitur. Postea (722) idem Pelei iussu matri ex vinculis solvendae adest.[1]) Tum (757 sqq.) a Peleo ambo in domum mittuntur. Postea cum Peleo rursus pronepos redire videtur (1047), quod sequitur ex Thetidis deae verbis (1246: *καὶ παῖδα τόνδε κτλ.*).

In **Heraclidis** ab ipso initio fabulae magnam puerorum multitudinem circum Iolaum ad aram Iovis, quae est ante templum eiusdem dei, sedentes videmus; cf. v. 122:

τίς ὄχλον τόνδ' ἀθροίζεται τύχη;
239: *νεοσσῶν τήνδ' ἔχων ὁμήγυριν.*

Sedent supplices pueri circa senem; omnes igitur manibus ramos lana obvolutos tenent (cf. v. 71): sane aspectum miserabilem nec non dramaticum praebentes. Sequitur scaena illa turbida, qua Copreus praeco senem de ara detrahere conatur, ita ut ille humi concidat (cf. v. 128). Senex et pueri magnis vocibus clamant (cf. vv. 126 sqq.). Quanquam enim verba pueris poeta nulla tribuit, tamen clamasse eos puto, quia tales voces, quas non articulatas dicimus, saepius in scaena antiqua occurrisse probabile est; cf. e. g. Eur. Suppl. 104:

τίς δ' ὁ στενάζων ἐν πύλαις ὅδε;

---

[1]) O. Müller (H. L. I⁴, p. 593 adn.) putat Peleum Molossum q. d. sustulisse, ut solveret matrem; quod in textu omnino non indicatur (*ἕρπε δεῦρ' ὑπ' ἀγκάλας*). Praeterea Molossum paullo natu maiorem fuisse infra docebo.

Nimirum pueri etiam senem contra praeconem audacem defendunt, nam actionis participes ostenduntur etiam v. 603:

λάβεσθε κεἰς ἕδραν μ' ἐρείσατε
αὐτοῦ πέπλοισι τοῖσδε κρύψαντες, τέκνα.

Postquam Demophon salutem promisit, pueri ab Iolao reges adire, iis gratias agere iubentur. At pueri muti sunt. Idem postea cum Alcmena usque ad finem tragoediae in scaena remanent, certe non amplius aram obsidentes, postquam Hyllum advenisse allatum est (630).

In **Hecuba** quoque duos pueros, filiolos Polymestoris, Euripides induxit. Brevissimum tantum tempus in scaena morantur, patrem comitantes muti (952—1022). Postea corpora caesorum in scaenam provolvuntur (1051).

Supplices Euripidis, una ex omnibus quas tenemus fabulis, puerorum chorum canentem praebent. Incipit tragoedia a spectaculo satis tragico, cum videamus septem ante Thebas caesorum ducum matres senes acerbissimis doloribus vexatas circum Aethram ad aram Cereris Eleusiniae sedentes; porro ad limen templi, Adrastum vestibus velatum, quem circumdat turba puerorum, sc. septem ducum filiorum, humi nimirum ut ille iacentium (106). Acer gemitus undique tollitur. In progressu fabulae pueri non prius agere quicquam videntur quam v. 954, ubi mortuos patres ad rogos efferendos prosequuntur. At, quanquam nihil actionis puerorum antea Euripides indicavit, tamen non semper eos ad templi limen iacuisse statuendum est, immo, cum patrum corpora efferrentur (794), surrexisse, ut eis obviam irent et ea salutarent. Postremum pueri matribus cineres septem heroum afferentes threnum cum iis canunt alternis vocibus (1114 sqq.). In scaena permanent ad finem (cf. vv. 1213 sqq.). — Sed quomodo tandem hic puerorum chorus formatus sit, i. e. quot pueri cogitandi sint, accuratius quaeramus. Hunc ad finem autem primum, qualis fuerit chorus principalis, videamus. Euripides enim semper aeque loquitur, ac si septem matres in scaena fuerint, quibus assisterent famulae, quae et ipsae, matres excipientes, primi carminis ultimam stropham antistrophumque canunt (71 sqq.). Numerum septenarium videsis e. g. v. 964 sq.: *ἑπτὰ ματέρες ἑπτὰ κούρους ἐγεινάμεθ' αἱ ταλαίπωροι κτλ.* Postea famulae nonnisi v. 1115 memorantur

in anapaestis. Quid faciant per fabulam, quemadmodum cantus sint participes, non videmus. Si autem septem matres fuerunt et singulis matribus singulas famulas tribuimus, quomodo chori legitimus numerus atque forma efficitur? At ne videntur quidem septem matres adesse posse, siquidem non adsunt septem, sed quinque mortui. Tales quaestiones viros doctos iamdudum acerrime vexarunt. Satis sit hic G. Hermannum[1]) attulisse, qui statuerit VII matres, VII pueros in scaena fuisse, qui singuli cum singulis alternantes carmen illud amoebacum (1123 sqq.) canerent. Nuper R. Arnoldtius[2]) illas difficultates expedire conatus est, cum accuratissime, quot matres necessario secundum rerum statum fuissent, computando quinque poneret matres; nam quoniam Polynicis et Amphiarai corpora omnino non Eleusinem allata essent (cf. v. 925 sqq.), nonnisi quinque matres revera ad expetenda corpora affuisse posse. Sed num tam facili argumentatione tota quaestio absolvi possit videamus. Neque enim ita ineptum est illam poeticam, ut ita dicam, licentiam vindicare Euripidi, ut non quasi putidum aliquem magistellum exactum numerum matrum eum computasse arbitremur, sed servasse sacrum illum quasi et integrum numerum septenarium. Omnino illam fabulam quodammodo neglegenter compositam esse etiamnunc cognoscimus; ita hoc certe laudandum non est, quod Capanei et Euadnae filius matrem suam in ignem insilire omnino non videtur sentire (filiolus ille enim inter pueros adesse cogitandus est), sicut tota illa de Euadna scaena quodammodo absoluta inter ceteras actiones haeret. Adde quod pueri paene plane negleguntur, cum v. 954 cum Adrasto et Theseo decedant ad rogos, nullo eos iubente; adde quod Minerva v. 1216 Aegialeum, Adrasti filium, alloquitur, cum ex v. 107 certe eum absentem esse concluserimus. Quod vero gravissimum est: quamvis Euripides sequeretur Eleusiniam illam fabulam,[3]) ex qua septem contra Thebas duces Eleusine iacebant sepulti, tamen non ausus est illustrem illam, quam Sophocles invenerat, fabulam de Polynice ab Antigona sorore sepulto evertere eo,

---

[1]) Praefat. ad Suppl. p. XVI.

[2]) Die chorische Technik des Euripides, Halle 1878, p. 71 sqq.

[3]) Vid. Pausan. I, 39.

ut Polynicem quoque Eleusinem iuberet afferri, quanquam quid ei factum sit, omnino non memoratur (cf. v. 500 et 925). Quae omnes discrepantiae facillime sic explicantur, ut hanc tragoediam ex recentis pacis (Nicianae) laetatia ad gloriam Athenarum celebrandam et foedus Argivorum commendandum [1]) ortam itaque quasi uno impetu confectam, non diutino studio limatam esse arbitremur. Quid? hac fabulae natura cognita num eam discrepantiam, ut septem pro quinque accipiendae sint, magni faciemus? At his argumentis certi nihil effici video: itaque, ut primum, quid ex ipsis poetae verbis de ratione inter matres et famulas intercedente sequatur, constituamus, singula chori carmina accuratius contemplemur. De primo carmine iam dictum est. Quae sequuntur chori preces (271 sqq.) ad unas matres pertinere videntur. Nam cum omnino propria ibi matrum causa agatur, tum verba quoque unis matrum oribus conveniunt. Arnoldtii vero sententia (l. c. p. 263), cum inter quinque matres singulas carminis partes distribuat, ita firmis caret argumentis, ut eam refellere supersedeam. Omnino autem inter omnes fere viros doctos constat, talia conamina, quibus, quem in modum chorus revera sua carmina pronuntiaverit, ostendatur, plane esse inania, quippe quae nulla nitantur aut ratione certa aut veterum memoria, exceptis iis locis, ubi aut coryphaei verba ceteros alloquentis cognoscuntur, aut hemichoria invicem sibi respondentia significata sunt. — Etiam quod sequitur carmen (365 sqq.), quod cantatur, dum Theseus rem cum populo communicat, non habet, quod necessario ad famulas referatur: immo haec verba: *τὸ πλέον ἐμῶν κακῶν* — *τί μοι πόλις κρανεῖ* — *καὶ τέκνοις ταφὰς ληψόμεσθα* ad unas matres pertinent. Nisi forte quis ultimam antistrophum: *ἄμυνε ματρί, πόλις κτλ.* famulabus tribuerit. Sed ea quoque aptius matribus assignantur, praeterquam quod stropha et antistrophus non a diversis cani solent. — At ex proximo carmine (597 sqq.), quod vulgo inter hemichoria distribuitur, certe quispiam concludi posse putet, matres famulasque separatas canere ita nempe, ut alterum hemichorium, quod signatur, ex matribus, alterum ex famulabus constet. Atque in libris quidem manuscriptis turpissimo scribae

---

[1]) Cf. Wilam. An. Eur. p. 153.

alicuius errore Aethra cum choro colloquens traditur. Sed ne Adrastus quidem, qui in scaena adest, huic carmini admitti potest. Nam quominus eas partes, quae in Wilam. editione Ἡμιχ. α signantur, ei tribuamus, prohibent vv. 666—7: *τίν' ἂν λόγον τάλαινα, τίν' ἂν τῶνδ' αἰτία λάβοιμι;* quia feminam requirunt. Si autem alteras partes (Ἡμιχ. β) ei tribuamus, quod per se est veri dissimile, quia tum colloquium turbatur, matres se ipsae appellent: *ὦ μέλεαι μελέων ματέρες λοχαγῶν*: quod fieri posse nego secundum sollemnem Graeci sermonis usum: requiritur enim primae personae pronomen, velut 273: *ὢ μελέα 'γώ*, 922: *ἐγὼ τάλαινα.* Itaque quoniam colloquium hic inter duas personas fieri (in prima quidem stropha et antistropho) ipsa verba declarant, ita quidem, ut altera (Ἡμιχ. α) ut timida et anxia, altera (Ἡμιχ. β) ut secura magis et fiduciae plena depingatur, iam nihil restat, nisi ut hemichoria in hoc carmine vocibus alternare statuamus, neque enim novimus aliam chori in duas partes dividendi rationem. Iam si primum ponimus matres atque famulas ea ratione discerni: ut famulas repraesentari putemus hemichorio α, fieri non potest propter vv. 606—8: *τίν' ἂν λόγον, τάλαινα, τίν' ἂν τῶνδ' αἰτία λάβοιμι;* quae non conveniunt nisi matribus: ab iis enim unis earum rerum ratio potest reposci. At ne alterius quidem hemichorii partes famulabus ascribi possunt: ita enim matres se ipsae appellarent: *ὦ μέλεαι μελέων ματέρες λοχαγῶν*, quod admitti non posse supra ostendi. Eam autem rationem, ut alterum hemichorium alterum communi omnium choreutarum nomine appellaret, usitatam fuisse, indicat Troadum locus hic (165 sqq.):

μέλεαι μόχθων ἐπακουσόμεναι
Τρῳάδες ἔξω κομίσασθ' οἴκων.

Itaque necessario in hoc carmine matres cum matribus colloquuntur; nam in altera parte, quae et ipsa praebet colloquium inter duas personas, eandem rationem merito ponemus. Famularum cantui in hoc carmine locus est nullus, quas ne decet quidem ita cum matribus colloqui, quasi sibi essent pares. Indicat ipse Euripides, quid deceat famulas, cum primo carmine eas non iusserit matrum precibus assentiri, sed tribuerit iis non nisi breve carmen, quo luctum exprimerent vere servili in-

temperantia. — Quod sequitur carmen (178 sqq.) facile intellegitur ad unas matres pertinere: docent verba haec: 782: ἐμοὶ δὲ παίδων εἰσιδεῖν μέλη κτλ. et 786: ἄγαμον μ' ἔτι δεῦρ' ἀεὶ κτλ. — Quod sequitur carmen amoebaeum (802 sqq.) ipse Adrastus indicat se cum matribus velle alternis vocibus canere (800—1): στεναγμὸν ὦ ματέρες — ἀύσατ' ἀπύσατ' ἀντίφων' ἐμῶν στεναγμάτων κλύουσαι. — Iam sequitur carmen illud amoebaeum (1123 sqq.), quod cum choro alternantes canunt pueri, dum afferunt patrum cineres. Atque quoniam in ceteris canticis praeter primum famularum vocibus non esse locum ostendimus, nemo dubitabit, quin hoc quoque vel dicam potissimum in carmine, quod est totius tragoediae quasi culmen, matres unae canentes sint ponendae. — At quid fecit poeta famulabus? num silent per totam tragoediam? Quam difficultatem Wilamowitzius probabiliter sic mihi expedivit, ut Euripidem primo illo carmine spectatoribus omnino, quomodo chorus constitutus esset, sc. ex matribus et famulabus, ostendere voluisse diceret. Putandum enim est, initio fabulae matres tantum circum Aethram ad aram sedere, famulas separatas stare. Deinde postquam v. 271 matres de ara descendissent, eas cum famulabus in unum agmen convenisse, ita ut iam chori sollemnis forma esset restituta. Itaque cetera carmina a toto choro sunt cantata, etiamsi et vestitu et collocatione etiamtunc matres a famulabus differebant. Cum enim constituisset Euripides matres septem ducum supplices chori loco inducere, sollemnis tamen usus, ex quo chorus constabat ex XV personis, ratio erat habenda. Potuit igitur, quod Aeschylus in Supplicibus videtur fecisse,[1]) neglegentia quadam numerum sollemnem pro eo, quem res postulabat, ponere, aut debuit aliis personis chorum supplere, ita ut chorus revera esset bipartitus per fabulam. Ea tamen ratio et sollemni scaenicae consuetudini, et ei, quod sequebatur, consilio obstrepuisset. Itaque mediam quandam viam ingressus est, cum adderet quidem famulas matribus (ut plenus fieret numerus), tamen non nisi primo alteroque carmine eam distinctionem servaret, postea totum chorum pro matribus poneret. Ita quoque intellegitur, quem-

---

[1]) Dissentit Wilamowitzius Herc. I[1], p. 90.

admodum potuerint matres, quae, ut opinor, V fuerunt, in duas partes discedere: nempe totus chorus, qui pro matribus accipiendus erat, in hemichoria divisus est.

Iam hac re intellecta carmen illud amoebaeum (1123 sqq.) quomodo cantatum sit quidque simul in scaena actum, videamus. Eo enim in loco totius quaestionis cardo vertitur. V. 1114 redeunt pueri patrum reliquias afferentes. Putandi autem sunt singuli singulas amphoras manibus tenere, quod sequitur ex Thesei verbis his (1165 sqq.):

Ἄδραστε καὶ γυναῖκες Ἀργεῖαι γένος,
ὁρᾶτε παῖδας τούσδ' ἔχοντας ἐν χεροῖν
πατέρων ἀρίστων σώμαθ' ὧν ἀνειλόμην.

Errat enim Arnoldtius (l. c. p. 266 sqq.), cum neget Capanei cineres a puero in scaenam referri, nam quia eius corpus non extra scaenam crematum sit, sed prope templum, ne posse quidem cineres eius a puero allatos esse. Nam ex chori (980 sqq.) verbis sequitur, Capanei quoque corpus in domo aliqua cremari, quod vel eo firmatur, quod Euadna in ignem desilit. — Iam incipit cantus amoebaeus. Ac Wilamowitzius[1]) quidem putat, omnino unum tantum puerum cantasse. Hoc si verum est, ille unus certe ut omnium vicarius canere cogitandus est; nam quae matres canunt talia sunt, ut universo tantum choro conveniant, non singulis; ita omnes quoque pueros necesse est alloquantur. Loquitur enim chorus de se per numerum singularem more sollemni, tamen ut interdum pluralem immisceat (famulas non separatas canere supra vidimus). Unde autem hoc cognosci possit, unum tantum puerum cecinisse, non omnes, siquidem ex numero singulari (*φέρω*, *φέρω κτλ*), quo chori sollemniter utuntur, nihil concludi potest? Immo cum omnes matres una voce canant, condicioni mihi maxime convenire videtur, pueros quoque simul omnes canere. Quis enim non videt illud matrum *πᾷ — φέρεις*, quod dicunt cum veniant omnes pueri manibus amphoras tenentes, respicere ad puerorum illud *φέρω φέρω κτλ*? Inde effici mihi videtur, pueros omnes cecinisse coniunctis vocibus. Similiter, quod infra v. 1139 canunt: *Βεβᾶσιν κτλ.*

---

[1]) Herm. XVIII, p. 410.

ad omnes matres pertinet, ita ut omnibus pueris optime conveniat. Sic etiam, ut hoc addam, habemus scaenam multo vividiorem, splendidiorem, quam si singuli cum singulis colloquuntur. Accedit quod *παίδων χοροί* Athenis erant usitatissimi, ut Euripidem eos (sicut etiam in Theseo) tragoediis suis adhibuisse non sit mirandum. Etiam ceteri, quos novimus, chori adventicii uno ore coniuncti cecinisse videntur: *προπομποί* in Aesch. Eum., servi in Eur. Hipp., milites in Erechtheo,[1] virgines nuptiales in Phaethonte.[2] — Iam videamus, quid in scaena agatur. V. 1160: *φέρ' ἀμφὶ μαστὸν ὑποβάλω σποδόν* indicatur, pueros matribus amphoras tradere, sc. singulae matres singulas amphoras accipiunt, ne ulla mater filii reliquiis careat. Constituimus enim matres a spectatoribus bene posse dignosci, et quoniam omnes pueros simul canere et agere demonstravimus, dubii nihil relinquitur, quin ea quoque actio ad omnes matres omnesque pueros pertineat. Inde clarissime primum hoc apparet: parem matrum, puerorum, amphorarum numerum fuisse; cum autem in scaena paullo ante quinque tantum corpora affuerint (cf. v. 925 sqq.), ego animum inducere non possum, ut Euripidem simili vel dicam maiore, atque quam supra demonstravi, neglegentia nihilominus septem matres, septem pueros, septem amphoras finxisse credam. Illae enim aliae, quas cognovimus discrepantiae sive vitia, talia erant, ut facile a spectatoribus possent non observari, hoc vero nimis oculos offenderit, ita ut Athenienses, ut erant acres artis iudices, id patienter toleraturos fuisse non putem. Statuamus igitur, quinque matres, quinque pueros in scaena fuisse: iam hoc Arnoldtio (p. 75) concedemus, sic multo facilius chori numerum atque formam legitimam effici. Si enim binas singulis matribus tribuimus famulas secundum illud: *ἅμα δ' ἀμφίπολοι δύ' ἕποντο,* primus stoechus aptissime matribus datur, ceteri famulabus.

Iam **Herculis** tres pueros propius contemplemur. Hi quoque muti in scaena, quamvis infantes sermonis non compotes non sint cogitandi; namque verba eorum afferuntur, quibus matrem de patris absentia interrogaverint (74 sqq.). Similem

---

[1] Fr. 369; cf. Wilam. An. Eur. p. 174.
[2] Fr. 781, 14 sqq.; cf. Wilam. Herm. XVIII, 409 sq.

aspectum, atque quem cognovimus in Heraclidis, habemus initio tragoediae, i. e. matrem Megaram, cui anxii applicantur Herculis tres filioli, cum patre Herculis, Amphiarao, omnes in ara *Διὸς σωτῆρος* supplices sedentes. V. 338 pueri cum matre domum intrant, ut vestes funebres induant. Redeunt v. 442 ex matre anxii pendentes, ut ad mortem ducantur. Deinde patri obviam eunt, ei applicantur flentes (529). Vere dramatice hic Euripides pueris usus est, cum eos faceret patrem redeuntem salutantes, arte se eius vestibus implicantes, donec, ut possit procedere, eos manibus accipiat, secum portet (629 sqq.); eam enim imaginem videntes magis quam meris verbis commovemur; sed de hac re infra plura dicam. Itaque pueros, etiamsi mutos, tamen paullulum agentes habemus. Supremum corpora occisorum provolvuntur (1029 sqq.).

Mutum puerum habemus etiam in **Troadibus**, Astyanactem dico parvulum, qui v. 568 cum Andromacha in scaenam invehitur, ut simul cum armis Hectoris praedaque Archivorum ad Neoptolemum abducatur. Puerum revera gestum egisse concludimus ex his verbis (750—51):

τί μου δέδραξαι χερσὶ κἀντέχει πέπλων,
νεοσσὸς ὡσεὶ πτέρυγας εἰσπίτνων ἐμάς;

V. 757 sqq. Andromacha eum ad se attollit pectorique apprimit complectitur osculatur. Apertissime, eam puerulum sustulisse, non se ad eum demisisse, sequitur ex his versibus (762—63):[1])

πρόσπιτνε τὴν τεκοῦσαν, ἀμφὶ δ᾽ ὠλένας
ἕλισσ᾽ ἐμοῖς νώτοισι καὶ στόμ᾽ ἅρμοσον.

Se applicare enim matri, brachia tergo circumdare, ut eam osculetur, non potest parvulus, qui modo vesti se implicabat, nisi sublatus. Ceterum sane tenerae aetatis Astyanactem cogi-

[1]) Vix opus est monere Andromacham primum in curru sedentem in orchestram invectam esse, deinde vero ad orationem proferendam (636) surrexisse, ita ut bene intellegatur Astyanactis parvuli gestus, scil. quo matrem, ut se attollat, monere conetur. Fortasse Euripidi locus ille Homericus animo obversatus est, quod a Roberto didici: *Π*, 7—10: *κούρῃ νηπίῃ, ἥ θ᾽ ἅμα μητρὶ θέουσ᾽ ἀνελέσθαι ἀνώγει, εἱανοῦ ἁπτομένη καί τ᾽ ἐσσυμένην κατερύκει, δακρυόεσσα δέ μιν ποτιδέρκεται, ὄφρ᾽ ἀνέληται.*

tandum esse vel inde patet, quod postea in scuto Hectoris sepelitur. V. 786 puer per Talthybii ministros aufertur, ut de muro deiciatur. Postea (1119) corpus mortui, nimirum simulacro repraesentatum, in scaenam affertur.

Restat in **Iphigenia Aulidensi** Orestes parvulus, quem ego quidem a vero puero repraesentatum esse non credo; poeta enim eum semper ulnis portari voluit: cf. vv. 621/22:

καὶ παῖδα τόνδε τὸν Ἀγαμέμνονος γόνον
λάζυσθ' Ὀρέστην· ἔτι γάρ ἐστι νήπιος,

et 1118/19:

χὐπὸ τοῖς πέπλοις ἄγε
λαβοῦσ' Ὀρέστην, σὸν κασίγνητον, τέκνον.

Adde quod Euripides hunc puerum consilio infantem, h. e. sermonis non compotem finxit: cf. vv. 465/6:

παρὼν δ' Ὀρέστης ἐγγὺς ἀναβοήσεται
οὐ συνετὰ συνετῶς· ἔτι γάρ ἐστι νήπιος.

Cui loco opponenda sunt, quae de Herculis filiis modo monui. Ac ne actionem indicatam putes, quae abhorreat ab infantis natura, propono tibi versus 1241 sqq., quibus Iphigenia Orestis parvuli, quem manibus tenet, aspectu patrem commovere studet; omnia infanti optime conveniunt:

ἀδελφέ, μικρὸς μὲν σύ γ' ἐπίκουρος φίλοις,
ὅμως δὲ συνδάκρυσον, ἱκέτευσον πατρὸς
τὴν σὴν ἀδελφὴν μὴ θανεῖν· αἴσθημά τοι
κἀν νηπίοις γε τῶν κακῶν ἐγγίγνεται.
ἰδοὺ σιωπῶν λίσσεταί σ' ὅδ' ὦ πάτερ·

Nec mira haec Orestis infantia: namque sequitur Euripides fabulae ut videtur formam sollemnem, qua narrabatur Orestem initio belli Troiani fuisse infantem in matris ulnis requiescentem: cf. Iph. Taur. 231 et Or. 377. Videtur eo Stesichori vestigia legisse, cuius in carmine argumentum illud expressum fuisse suspicor, Orestem, qui initio belli infans stultus fuisset, sensim ad officium suum ultionis cognoscendum corroboratum esse.[1])

[1]) Cf. Stes. frg. 41; ceterum Robertum, Bild und Lied, p. 149 sqq., praecipue p. 178. — In scypho quodam, q. d. Homericum, in quo ipsa illa ex Eur. Iph. scaena ficta est, Orestes aetate paullo provectus re-

Tales infantes, quales etiam plures inveniemus, revera omnino simulacris repraesentatos esse statuo, quia pueris minimae aetatis in scaena publica locum non fuisse consentaneum est. Praeterea hoc respicias quaeso, in Aristophanis Acharn. eundem Orestem infantem in Telephi Euripidis irrisione cophino, potissimum autem eundem in Thesmophoriazusis, ubi eadem scaena ridetur, utre in infantis speciem exornato repraesentari. Quibus commentis comicum puto eum ipsum morem tragicum, simulacra pro infantibus producendi, ridicule voluisse imitari, sicut saepius tragicae scaenae instituta (e. g. *μηχανήν, ἐκκύκλημα*) iocis suis profanavit.[1])

Nunc Aristophanis quae quidem exstant fabulas perlustremus. Iam in **Acharnensibus** pueri sive puellae in scaena aspiciuntur, sc. duae illae Megarensis hominis filiae, quas ille in porcorum similitudinem conversas vendit. Versantur in scaena a v. 729—834. Num de meris simulacris cogitandum sit,[2]) equidem vehementer dubito, non tam, quia verba nonnulla poeta iis tribuisse videtur (735: *πεπρᾶσθαι πεπρᾶσθαι*, 780, 801, 802, 803: *κοΐ, κοΐ*), quam quia ipso illo loco haud ambigue actio puellarum indicatur (744: *ἀλλ' ἀμφίθεσθε καὶ ταδὶ τὰ ῥύγχια, κᾆπειτεν εἰς τὸν σάκκον ᾧδ' ἐμβαίνετε*). Ac si quantum ridiculi haberent tales actiones, poetam non ignorasse atque ob id ipsum talia finxisse consideramus, credere non possumus

---

praesentatus est, cum pedibus ambulet. Sed ut in eo artifex ab Euripide recessit, quod puerum humi stantem, non ab Iphigenia sublatum finxit, ita ne hoc quidem, quod eum maiorem repraesentavit, ex scaenae aspectu profectum esse putabimus. Adde quod Agamemnonem in throno sedentem fecit, quod ipsum quoque cum poetae consilio pugnat. Vid. 50. Berl. Winckelmannsprogr. 1890, p. 51.

[1]) Etiam quarto a. Chr. saeculo simulacra pro infantibus in scaenam inducta esse docet frg. ex Hectore Astydamantis alterius sumptum, quod sic apud Nauckium restitutum legimus:

δέξαι κυνῆν μοι, πρόσπολ' . . .
μὴ καὶ φοβηθῇ παῖς.

Nimirum Astyanax est cogitandus, qui ut infans simulacro repraesentatus est. Fragmentum Robertus mihi ostendit.

[2]) Quod coniecit O. Müller, Hist. Litt. II[4], 13.

inania simulacra pro vivis pueris sive puellis in scaenam esse prolata. Accedit quod, quae est iocorum (a v. 781) obscoenitas, puellas potissimum in scaena monstrari poeta voluisse videtur, quod Wilamowitzius me docuit. Vel hac de causa coniectura illa Beerii,[1] Nicarchum sycophantam, qui postea (869—917) in scaena est, ab altero puerorum, qui Megarensis filiarum personas gesserint, esse repraesentatum, reicienda est; nam tot verba puellulas in theatro protulisse sane incredibile est; filiam potius illam, quae cum matre in pompa Dionysiaca (245) inducitur, et Nicarchum eiusdem fuisse actoris suspicor. In vocibus puellarum non offendendum est, siquidem pauci illi soni facile ab alio aliquo emittebantur, sicut in Lysistrata Cinesiae filioli voces alium actorem suscepisse inveniemus.

In **Equitibus** Aristophanes ex vita cotidiana puerum, qu fert *ὀκλαδίαν*, induxit, quem sane merum *δορυφόρημα* merito appellabimus (v. 1384).

In **Vespis** in scaenam prodeunt pueri praelucentes choro, qui v. 230 ante solem ortum orchestram intrat. V. 408 sqq. pueri a coryphaeo dimittuntur, ut Cleonem arcessant, quod artificium poeta nimirum tantummodo ad pueros removendos finxit. Vel inde hoc quoque sequitur, eos pueros praebere revera ornamentum huius fabulae proprium, nec partem chori fuisse, quod G. Hermannus suspicatus est. Omnino enim de his puerorum partibus magnae inter viros doctos ortae sunt controversiae; nam neque quot pueri fuerint, neque quomodo verba a poeta sibi tributa protulerint, clare indicatum est. Atque G. Hermanni sententiam,[2] existimantis quattuor pueros a quattuor choreutis (statura brevioribus) esse repraesentatos, honoris tantum causa affero. Nam cum pueris v. 408 ad Cleonem dimissis remanere non possint nisi XX choreutae, ad eam delabimur coniecturam sane monstruosam, ut chorum per maximam fabulae partem adeo mutilatum vice sua functum esse arbitremur. Deductus autem Hermannus ad eam sententiam est, quod omnino pueros canentes in scaenam admitti non posse sibi

[1]) C. Beer, Ueber die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes, Leipzig 1844, p. 59.

[2]) De choro Vesparum 1843; opusc. VIII, 253.

persuaserat, qua de re nobis infra fusius disputandum erit. Quod ad numerum puerorum attinet, iam Beerius[1]) verum vidit: **tres** fuisse propter tres Carcinitas, qui in fine fabulae (1501 sqq.) prodeunt saltaturi. Qui cum ob brevem corporum staturam irrideantur, a pueris atque iis quidem ipsis, qui antea laternas tulerant, acti esse putandi sunt, siquidem parachoregemate semel inducto largius uti sollemnis fuit poetae ars; itaque tres habemus pueros praelucentes, nam tres videntur Carcinitae saltavisse. Hanc vero coniecturam I. Richterus[2]) non pro certa accipiens inter varias sententias dubius pendet. Cum enim propter v. 1512:

ὦ Καρκίν', ὦ μακάριε τῆς εὐπαιδίας

patrem ipsum cum tribus filiis saltavisse, aut etiam propter sequentem versum:

ὅσον τὸ πλῆθος κατέπεσεν τῶν ὀρχίλων

plures homunculos in orchestra apparuisse credibile sit, aut tres aut quattuor aut plures quoque pueros praelucentes cogitari posse. At qui poetae usum novit, tam obscure eum personas prodeuntes non signare probe scit, ut non dicam hoc nihil habere mirandi, quod Carcinus, sive adest inter spectatores sive non, ob filiorum virtutes appellatur atque celebratur. Quod attinet autem ad versum 1513:

ὅσον τὸ πλῆθος κατέπεσεν τῶν ὀρχίλων,

inde magnam homunculorum multitudinem in orchestram prodiisse concludi omnino non potest, quia illud enuntiatum arcte pendet ex antecedente, speciatim spectat ad vocem *εὐπαιδίας*, quae nimirum ad tres Carcini filios referenda est. Quod autem de tribus vocem *πλῆθος* usurpavit, eo aptissime explicatur, quod tres fratres deinceps scaenam intrant, ita ut alius alii corporis brevitate et miro habitu antecellat (1511: *ὁ σμικρότατος*), qua re multitudinis species oritur. — Iam quid de ratione pronuntiandi erui possit, videamus. Primum hoc monendum est, colloquium inter patres et filios (sive patrem et filium) habitum (248—257), quo poeta puerorum lasciviam egregie depinxit,

---

[1]) l. c. p. 49 sq.
[2]) Prolegom. ad Ar. Vesp. Berol. 1858, p. 53 sqq.

recte intellegi non posse, nisi inter eosdem incipitur et pergitur et non modo hic modo ille puer respondet (quod Richterus voluit). Cum vero metrum illius partis (tetr. iamb. cat. cum syncopa in quinto pede) ad sermonem propius accedere videatur,[1]) cum Westphalio[2]) eos versus singulos cecinisse statuemus. Itaque apparet hoc loco coryphaeum cum uno eodemque puero vocibus alternasse, atque sponte se offert maximus ille puerorum (qui postea primus Carcinitarum prodit) dignissimus, cui hoc munus vindicemus. Tamen unus ille pro omnibus verba fecisse cogitandus est, sicut omnes videntur antea peccavisse (250), omnes una vapulavisse (254: εἰ νὴ Δί' αὖθις κονδύλοις νουθετήσεθ' ἡμᾶς). At carmen quod sequitur amoebaeum (291—315) certe omnes pueri cum toto choro alternantes cecinerunt. Quod enim antecedit carmen ab universo choro cantatum esse luculenter ex his coryphaei verbis apparet (270/71):

ἀλλά μοι δοκεῖ σπάντας ἐνθάδ' ὦνδρες
ᾄδοντας αὐτὸν ἐκκαλεῖν.

Cum igitur in eiusdem carminis fine universus chorus cecinerit (290):

ὕπαγ' ὦ παῖ ὕπαγε,

pueros quoque omnes una voce respondisse putabimus. Qui morem chororum sollemnem secuti numero singulari et plurali promiscue utuntur. Itaque conamina illa, quibus inter singulos pueros singulae partes a Richtero[3]) distribuuntur, tractare supersedeo.

In **Pacis** initio (114) filiolae Trygaei prodeunt. Duae videntur fuisse secundum schol. Ven. ad v. 137: ὦ μελέα· δυϊκῶς· λέγει δὲ πρὸς ἄμφω τὰ παιδία. At dubitari potest, utrum revera hoc scholium antiquam memoriam praebeat, an μελέα singularis potius existimandus sit. Sic enim legendum est, non μέλ' ἄν, quod ἔδει non eget particula ἄν. Itaque Richterus[4]) septem puellas fuisse suspicatur ex septem, quos

---

[1]) Cf. vv. 270/71 et Nubb. 1212, ubi idem metrum occurrit, ab encomio, quod antea canitur, discretum.

[2]) Rossbach-Westphal, Metr. ³ p. 239; cf. C. Muff, Ueber den Vortrag d. Chorpartieen bei Arist., Halle 1872, p. 40.

[3]) l. c. p. 54.

[4]) Prolegom. ad Ar. Pac., Berol. 1860, p. 54.

traditos legimus, earum sermonibus. At non licet talia concludere nisi ex haud ambiguis poetae indiciis. Hic vero colloquium plane progrediens habemus; comicus autem, simodo ei praesto fuisset materia talis: septem pacifici viri filiolae, ea largius pro ingenio suo usus esset. At, ut quaestionem solvamus, proficiscendum est ex eo in fine fabulae loco, ubi aperte duo pueri, Lamachi et Cleonymi filii, inducuntur (1265 sqq.). Verisimillimum enim est, eosdem duos pueros primum Trygaei filiarum, tum Lamachi Cleonymique filiorum personas gessisse, ita ut scholiastae illam notam sibi stare videamus. Lamachi filium multa canentem audimus: itaque non dubito eidem puero, qui hunc egerit, ut sollertiori, cantum illum puellae (114—118) tribuere, qui unius tantum ori convenire videtur.[1]) Quod sequitur colloquium idem certe puer cum patre habuit, quoniam unum tantum cum illo confabulari ex causis supra allatis consentaneum est.

Restat ut de **Lysistrata**, in qua Cinesiae et Myrrhinae filiolus inducitur (845—968), pauca dicamus. Qui certe infans minimae aetatis est cogitandus, aperte enim ἄθηλος vocatur, lactens igitur est (881); adde quod postea a servo aufertur, sane qui ambulare nondum possit. Itaque constat de vero infante hic dicendum non esse; sed simulacrum tantum in scaenam apportatum est sicut in Iphigenia Aul. etc., cui opinioni clamores infantis non obstant (879); quid enim facilius, quam histrioni alicui tria illa verba mutata voce proferenda tribuere?

Iam fabulis superstitibus perlustratis quantum in deperditarum tenebris etiamnunc cognosci nostraeque quaestioni adhiberi possit, videamus.

Ex Aeschyleis unam tantum habeo tragoediam, cuius inter personas puer sive infans fuisse videatur: **Telephum** dico, in qua Aeschylum idem quod Euripides in eiusdem tituli tragoedia argumentum expressisse suspicamur. Dico notam illam

---

[1]) Dissentit Muffius, l. c. p. 111.

ex Hygino fabulam (CI), qua narratur Telephum, ut vulneris, quod ab Achille acceperat, medelam nancisceretur, in castra Achivorum ingressum, rapto parvulo Oreste, obsidis loco, Achillem se sanare coegisse. Responsum enim ei ab Apolline erat eundem, qui vulnerasset, sanaturum esse. — Orestes ille nimirum infans[1]) minimae aetatis cogitandus est ex vulgari, quam supra attigi (p. 235), memoria. Nobilem illam, qua Telephus Orestem rapit, scaenam, quae apud Euripidem praecipuum in fabula locum tenuisse videtur, ne apud Aeschylum quidem defuisse scholiasta ad Ar. Ach. 332 testatur: *ἐπεὶ καὶ ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών·* nam etiamsi ubique ibi Euripides irridetur, ita ut nonnulli homines docti illud *Αἰσχύλον* per errorem positum esse coniecerint, equidem animum inducere non possum, ut ullum commentatorem, quisquis fuit, tam stupidum putem, ut Euripideam fabulam respici non sentiret. Mirus profecto esset commentatoris error, cum Aeschyleam afferret Telephum, qua Euripideam multo nobiliorem, multo diutius notam fuisse testimonia docent.[2]) Itaque eandem sive similem scaenam apud Aeschylum occurrisse statuamus, etiamsi non ut apud Euripidem Telephus Oresti necem minatus esse, sed eum tantum obsidem occupasse videtur, quod cernimus in antiquiore vasculo.[3]) Infans ille nimirum simulacro repraesentatus est, sicut pro Prometheo quoque in initio fabulae simulacrum est substitutum. Neque in eo offendendum est, quod talia, ut raptum infantis, in scaena Aeschylea omnino occurrisse puto; multo enim plura agebantur in antiqua quam in posteriore scaena, sicut e. g. Hercules in *Προμηθεῖ λυομένῳ* inductus est aquilam sagitta occidens.[4]) Itaque Euripides hac in re Aeschylum imitatus est.

---

[1]) Conveniunt Hygini verba: „Orestem rapuit de cunabulis".

[2]) Vid. frgm. apud Nauckium. Ceterum cf. quae infra de Eur. Telepho disputavi.

[3]) Vid. O. Jahn., Arch. Aufs. tab. 2; cf. Robert., Jahrb. des Kaiserl. Deutschen Arch. Inst. II, 1887, p. 248.

[4]) Quod docuit G. Haupt, comment. arch. in Aesch., dissert. inaug. Hal. 1896, apud Niemeyerum, p. 121.

Iam Sophocleas fabulas adeamus.

In **Atreo** sive **Mycenaeis** famosam illam „cenam Thyestae" tractatam fuisse constat. Eandem materiam Euripides in sua **Thyesta** tractavit.[1]) At utriusque fabulae lineae etiamnunc tanta caligine sunt obvolutae, ut ex accurata tantum omnium testimoniorum examinatione lux aliqua a nobis sperari possit. Priusquam igitur ad tragoedias ipsas accedamus, quae ante tragoediam fuerit vulgaris fabulae forma, constituendum est. Quem ad finem primum eam narrationem, quam Apollodori epitoma Vaticana exhibet, comparemus cum ea, quae exstat in Euripidis Electra. Ibi enim chorus fusius totam earum rerum conexum profert, certe vulgarem quaeque tragicorum commentis non est tacta memoriam sequens, quod ex ipso cantici Euripidei initio elucet. Postea apposui Aeschyli ex Agamemnone de fratrum discidio narrationem, quae ipsa quoque pro antiqua memoria habenda est. Cum loco illo ex epitoma Vaticana sumpto fere plane concinunt schol. Hom. *B*, 105 AD et schol. Eur. Or. 812 A, quae narrationes tamen non ultra Thyestam ab Atreo expulsum procedunt.

Eur. El. (700 sqq.)

.. κληδὼν ἐν πολιαῖσι φάμαις μένει . . . Πᾶνα . . . χρυσέαν ἄρνα καλλίποκον πορεῦσαι· πετρίνοις δ' ἐπιστὰς κᾶρυξ ἴαχεν βάθροις· ἀγορὰν ἀγορὰν Μυκηναῖοι στείχετε μακαρίων ὀψόμενοι τυράννων φάσματα δείματα. χοροὶ δ' Ἀτρειδᾶν ἐγέραιρον οἴκους κτλ. κρυφίαις γὰρ εὐναῖς πείσας ἄλο-

Ep. Vat. (2, 5 sqq.)

ὁ δὲ Ἀτρεὺς εὐξάμενός ποτε τῶν αὑτοῦ ποιμνίων, ὅπερ ἂν κάλλιστον γένηται, τοῦτο θῦσαι Ἀρτέμιδι, λέγουσιν ἀρνὸς φανείσης χρυσῆς ὅτι κατημέλησε τῆς εὐχῆς· πνίξας δὲ αὐτὴν εἰς λάρνακα κατέθετο κἀκεῖ ἐφύλασσε ταύτην· [μέγα δέ τι φρονοῦντα ἐπὶ τῷ κτήματι κομπάζειν κατὰ τὴν ἀγοράν].[2]) *ἣν Ἀερόπη δίδωσι τῷ Θυέστῃ μοιχευ-*

---

[1]) Thyestam a Cressis diversam esse non opus est iterum affirmare. Cenam Thyestae potissimum in Thyesta tractatam fuisse ostendit Bergkius ex Aristoph. Proagon. frgm. apud Meinekium, frgm. com. Graec. II, p. 1137/38.

[2]) Hoc in unis scholl. Hom. et Eur. legitur.

χον φίλαν Ἀτρέως, τέρας ἐκκομίζει πρὸς δώματα.

νεόμενος δ᾽ εἰς ἀγόρους ἀΰτει τὰν κερόεσσαν ἔχειν χρυσόμαλλον κατὰ δῶμα ποίμναν.

τότε δὴ τότε φαεννὰς ἄστρων μετέβασ᾽ ὁδοὺς Ζεὺς καὶ φέγγος ἀελίου λευκόν τε πρόσωπον ἀοῦς κτλ.

Aesch. Agam. 1583 sqq. (Weil.) Ἀτρεὺς γὰρ ἄρχων τῆσδε γῆς, τούτου πατήρ, πατέρα Θυέστην τὸν ἐμόν, ὡς τορῶς φράσαι, αὐτοῦ δ᾽ ἀδελφόν, ἀμφίλεκτος ὢν κράτει, ἠνδρηλάτησεν ἐκ πόλεως τε καὶ δόμων.

καὶ προστρόπαιος ἑστίας μολὼν πάλιν τλήμων Θυέστης μοῖραν ηὗρετ᾽ ἀσφαλῆ, τὸ μὴ θανὼν πατρῷον αἱμάξαι πέδον αὐτός.[3]) ξενία δὲ τοῦδε

θεῖσα ὑπ᾽ αὐτοῦ. χρησμοῦ γὰρ γεγονότος τοῖς Μυκηναίοις ἑλέσθαι βασιλέα Πελοπίδην[1]), μετεπέμψαντο Ἀτρέα καὶ Θυέστην. λόγου δὲ γενομένου περὶ τῆς βασιλείας ἐξεῖπε Θυέστης τῷ πλήθει τὴν βασιλείαν δεῖν ἔχειν τὸν ἔχοντα τὴν ἄρνα τὴν χρυσῆν· συνθεμένου δὲ τοῦ Ἀτρέως δείξας ἐβασίλευσε.[2]) Ζεὺς δὲ Ἑρμῆν πέμπει πρὸς Ἀτρέα καὶ λέγει συνθέσθαι πρὸς Θυέστην περὶ τοῦ βασιλεῦσαι Ἀτρέα, εἰ τὴν ἐναντίαν ὁδεύσει ὁ Ἥλιος. Θυέστου δὲ συνθεμένου τὴν δύσιν εἰς ἀνατολὰς ὁ Ἥλιος ἐποιήσατο· ὅθεν ἐκμαρτυρήσαντος τοῦ δαίμονος τὴν Θυέστου πλεονεξίαν, τὴν βασιλείαν Ἀτρεὺς παρέλαβε καὶ Θυέστην ἐφυγάδευσεν. αἰσθόμενος δὲ τῆς μοιχείας ὕστερον κήρυκα πέμψας ἐπὶ διαλλαγὰς αὐτὸν ἐκάλει. καὶ ψευσάμενος εἶναι φίλος, παραγενομένου τοὺς παῖδας, οὓς εἶχεν ἐκ νηΐδος νύμφης, Ἀγλαὸν καὶ Καλλιλέοντα καὶ Ὀρχομενόν, ἐπὶ τὸν Διὸς βωμὸν καθεσθέντας ἱκέτας ἔσφαξε, καὶ μελίσας καὶ καθεψήσας παρατίθησι Θυέστῃ χωρὶς τῶν

[1]) Hoc enuntiatum deest in scholl. Hom. et Eur.
[2]) Hoc enuntiatum omissum est in scholl. Hom. et Eur.
[3]) Ci. Blomfieldus pro trad. αὐτοῦ.

δύσθεος πατὴρ Ἀτρεὺς, προθύμως μᾶλλον ἢ φίλως, πατρὶ τῷμῷ, κρεοῦργον ἦμαρ εὐθύμως ἄγειν δοκῶν, παρέσχε δαῖτα παιδείων κρεῶν. + τὰ μὲν ποδήρη καὶ χερῶν ἄκρους κτένας + ἔθρυπτ' ἄνωθεν ἀνδρακὰς καθήμενος ἄσημ'· ὃ δ' αὐτῶν αὐτίκ' ἀγνοίᾳ λαβὼν ἔσθει βορὰν ἄσωτον κτλ.

ἄκρων, ἐμφορηθέντα δὲ δείκνυσι τὰ ἄκρα καὶ τῆς χώρας αὐτὸν ἐκβάλλει.

Mirandum non est, non omnia, quae apud Apollodorum narrantur, in Euripideo quoque cantico occurrere, quoniam poeta pro chori sublimi dicendi ratione res subobscure abrupteque profert. Itaque in initio potissimum noli discrepantias statuere. Nimirum Epitomator Vaticanus pristinam fabulae formam affert, secundum quam totius discidii origo ad neglectum Atrei votum, quod Dianae fecerat, referebatur.[1]) Quod vero Euripides de voto illo omnino tacet, inde eum aliam formam respicere colligi nequit. Simili brevitate postea miraculi illius rationes prorsus omittit, cum nihil dicat de illa pactione, quam Iuppiter Atreum cum Thyesta facere iusserat. Immo ex eis verbis, quibus agnum aureum advenisse dicit (*Πᾶνα ... χρυσέαν ἄρνα ... πορεῦσαι*), patere mihi videtur, eum similem atque epitomatorem fabulam in mente habuisse. In prisca enim fabula narrabatur agnum nescioquomodo subito inter pecora Atrei apparuisse (*ἀρνὸς φανείσης*). Idem certe dicit Euripides, siquidem Faunus, deus pecorum, sollemniter talium rerum auctor putabatur. Aliter constat rem narratam esse in recentiore fabula (quae etiam in Alcmeonide occurrebat), sc. a Mercurio agnum missum esse. Eam formam Euripides in Orestis chorico (995 sqq.) sequitur, ubi aliae quoque discrepantiae occurrunt, quae haud scio an recte eidem auctori ascribendae sint.[2]) Sed utut hoc est, pro certo accipio Euripideae Electrae

[1]) Cf. Th. Voigt, De Atrei et Thyestae fabula, dissertatt. philol. Hal. VI, p. 334.

[2]) Mirum enim hoc potissimum est in illo cantico, quod Aeropae adulterium post cenam Thyestae demum narratur. Quod nisi temere

canticum et narrationem Epitomae Vaticanae eandem exprimere fabulae formam. Idem valet de Aeschylea narratione cum Apollodorea comparata. Neque enim in eo haereri debet, quod apud Apollodorum Atreum per dolum fratrem allexisse legimus, de qua re tacet Aeschylus. Aegisthus enim summam tantum rerum tangit; itaque satishabet iniurias supplicibus illatas afferre, quo summo scelere illud, quod amicitiam simulaverat, quasi involvitur. Itaque ex verbis: *προστρόπαιος ἑστίας μολὼν πάλιν* Thyestam sponte rediisse concludi posse nego.[1]) Nonne consentaneum est, in epico carmine, cuius argumentum erat impia fratrum lis, narratum fuisse, Thyestam tantopere propter pristinas iniurias fratri diffidere, ut deorum se tutelae credere malit? Ita in Euripidis Phoenissis (272 sqq.) Polynices, etiamsi *ὑπόσπονδος* intrat urbem, tamen turpissimas insidias sibi parari suspicatur, cum *βωμίους ἐσχάρας* respiciat, ad quas confugiat. Hoc veteris carminis argumentum etiamnunc in Vaticana narratione discernimus, qua Atreus, postquam amice fratrem revocaverit, eius liberos supplices in ara Iovis sedentes mactavisse traditur. — Quae cum ita sint, ego non dubito illam Apollodoream narrationem pro antiqua memoria habere, qualis fortasse apud Pherecydem legebatur, cui etiam Th. Voigtius[2]) priorem partem tribuit ex auctoritate schol. Eur. Or. 997 ABI: *Φερεκύδης δὲ οὐ καθ' Ἑρμοῦ μῆνίν φησι τὴν ἄρνα ὑποβληθῆναι, ἀλλ' Ἀρτέμιδος.*[3]) Sed eidem tota narratio tribuenda mihi videtur; nam eum omnino de fratrum rixa atque notissima illa cena Thyestae tacuisse non credibile est, siquidem ea iamdiu ab omnibus ferebantur (*τὰ ἐπώνυμα δεῖπνα Θυέστου*). Quod

---

factum putamus, sic fortasse explicandum est, ut poenam Atrei in illa fabula non iam desiderari statuamus; non enim votum neglexerat; Aeropae enim adulterium pro Atrei poena in pristina fabula habendum est. In recentiore autem fabula Atreus post cenam demum sceleri est obnoxius.

[1]) Quae est Straussii sententia: De ratione inter Senecam et antiquas fabulas Romanas intercedente, dissert. inaug. Rostoch 1887, p. 61, n. 1.

[2]) L. c., p. 400 sqq.

[3]) Voigtius iam vidit (p. 405), non iratam Dianam intellegendam esse, sed nihil nisi hoc: Dianam agnum misisse, ita ut potius *ὑπ' Ἀρτέμιδος* legendum sit.

autem desiderari Voigtius dicit poenam Atrei, qui votum Dianae factum neglexerit, Aeropae adulterium pro poena eius habendum esse Robertus me monuit; conferenda est Minois Pasiphaesque fabula, quae simillimum praebet argumentum. — Iam cum per hanc totam quaestionem cognoverimus, in Epitoma Vaticana antiquam et vulgarem de Atrei et Thyestae discidio exstare fabulam, eam omnino non valere ad eas quas quaerimus tragoedias recognoscendas apparet. At novum habeo argumentum, quo non solum illa coniectura confirmatur, sed etiam aditus ad ipsas tragoedias datur, quod pertinet ad illam de Solis regressu fabulam. Primitus narrabatur Solem post furtum Thyestae revertisse, quod docet canticum Euripideum et narratio Apollodorea. Euripides in miraculo illo offendit, quod tradit schol. Or. 998 ABI: *πιθανῶς ὁ Εὐριπίδης τὸν μῦθον προσήρμοσεν· ὁ γὰρ φυσικὸς λόγος τὸν ἥλιον ἀποδείκνυσι τὴν ἐναντίαν ἰόντα πορείαν τῷ οὐρανῷ.* Huc etiam probabilissime refertur frg. inc. 861:

δείξας γὰρ ἄστρων τὴν ἐναντίαν ὁδὸν
δήμους τ' ἔσωσα καὶ τύραννος ἱζόμην.

Quae verba si Atreo tribuimus, ita intellegenda videntur, ut Euripidem hoc finxisse putemus, Atreum non Iovis miraculo, sed propter sapientiam suam ad res caelestes pertinentem a populo regem creatum esse. Nonne Euripides ipse clarissime incredulitatem suam patefecit in cantico illo Electrae, ubi, postquam vulgarem opinionem protulit, haec adicit (El. 737 sqq.): *λέγεται· τὰν δὲ πίστιν σμικρὰν παρ' ἔμοιγ' ἔχει, στρέψαι θερμὰν ἀελίου χρυσωπὸν ἕδραν ἀλλάξαντα δυστυχίᾳ βροτείῳ θνατᾶς ἕνεκεν δίκας.* Sophocles miraculum servavit, sed audaci felicissimaque arte transposuit post cenam Thyestae, quam voluit quam horridissimam depingere. Hoc testatur Statyllius Flaccus (Anth. Pal. IX, 98).[1])

Οἰδίποδες δισσοί σε καὶ Ἠλέκτρη βαρύμηνις
καὶ δείπνοις ἐλαθεὶς Ἀτρέος Ἠέλιος
ἄλλα τε πουλυπαθέσσι, Σοφόκλεες, ἀμφὶ τυράννοις κτλ.

Nunc vero testimonio illi in litteris mythographicis Graecis uni, quod eandem fabulae formam, i. e. Solis regressum post cenam Thyestae positum, praebet, maiorem fidem habebimus,

[1]) Hoc Straussius attulit, l. c. p. 64.

praeterquam quod illi etiam Sophoclis nomen aperte appositum est: schol. Eur. Or. 812 Gu l. (Postquam Atreo a Mercurio agnum aureum missum esse narratum est, sic pergitur:) *καὶ μέλλοντος Ἀτρέως δεῖξαι τὸ τέρας τοῖς δικασταῖς καὶ λαβεῖν τὴν ἀρχήν, Ἀερόπη, ἡ τούτου γυνή, μοιχευομένη Θυέστῃ, τῷ ἀνδραδέλφῳ, κλέψασα τοῦτο παρέδωκεν αὐτῷ. Θυέστης δὲ λαβὼν τοῦτο καὶ δείξας τοῖς δικασταῖς τῆς ἀρχῆς ἐκράτησε. μὴ ἀνασχόμενος οὖν Ἀτρεὺς τὴν συμφορὰν καὶ δυσχεραίνων, ὅτι ἀδίκως ἐστέρηται τῆς ἀρχῆς, ὁμοῦ τε τὴν γυναῖκα Ἀερόπην τιμωρεῖται κατ' ἄμφω, καὶ ὅτι ἐμοιχεύετο Θυέστῃ καὶ ὅτι κέκλοφε τὸ ἀρνίον καὶ δέδωκεν αὐτῷ, ῥίψας αὐτὴν εἰς τὴν θάλατταν,*[1] *ὥς φησι Σοφοκλῆς, καὶ τοὺς τρεῖς υἱοὺς τοῦ Θυέστου, Ἀγλαὸν Ὀρχομενὸν καὶ Κάλεον ἀποκτείνας παρέθηκεν εἰς τράπεζαν τῷ πατρὶ καὶ αὐτὸν ὕστερον ἀπέκτεινεν. δι' ἃ ὁ ἥλιος μὴ στέρξας τὸ παράνομον μίαν ἡμέραν ἐκ δυσμῶν πρὸς ἕω διφρεύει. σὺν αὐτῷ δὲ καὶ αἱ πλειάδες τὴν ἐναντίαν ὁδὸν ἐβάδισαν.* Praeter miraculum transpositum hoc novum in hac narratione cernitur: quod Aeropa in mare praecipitatur (quae quidem est sollemnis adulterarum poena), quod Thyestes ipse quoque interficitur; quae res nusquam alibi occurrunt: habemus igitur prorsus singularem fabulae formam, quam ex causis allatis Sophocli tribuere non dubito: ea omnia scelera Sophoclem in Atreum contulisse vel inde apparet, quod aperte scholiasta affirmat, post omnia exacta demum solem tergum vertisse.[2]) Iam cur „Atrei" nomen fabulae imposuerit, cognoscimus, scil. quia eius potissimum mores fortunamque depingendos sibi proposuerat, sane horridam imaginem! Nam illum in tota tragoedia medium locum obtinere videmus, cum, quomodo insatiabilem fere suam ulciscendi cupi-

[1]) Spectare hic scholiastam Soph. Ai. 1297 (quod Dindorfius putavit) vix crediderim, quia ibi non de Atreo, sed de Catreo, Aeropae patre, sermo est. Sed etiamsi erraverit scholiasta, sufficiunt testimonia, ut illam fabulae formam Sophocleam esse credamus.

[2]) Eandem materiam Petersenus (Progr. Dorpat, 1877, p. 8) ascribit Atreo Sophoclis, oppugnans Welckerum, qui Thyestam ab Atreo interfectum alii tragoediae vindicaverat. Ceterum ille fusius de duabus Sophoclis Thyestis disputat, quarum argumenta in Hygin. fab. LXXXVIII latere probabiliter conicit, etiamsi de vasculo (Conze, Vorl.-Bl. Ser. III, IV, 2), quod eo referri vult, dubitari potest.

ditatem in uxore et fratre expleret, in ea fabula expressum esse videatur, cui cupiditati eo usque indulgeret, donec solus fere ex tota gente relinqueretur, tot tantisque sceleribus onustus, ut vel dei taedium suum aperte ostenderent, ipse vero, ut opinor, miraculo illo perterritus, in summam rerum gestarum paenitentiam concideret. — In „Thyestis", quarum alterius actio Sicyone fiebat, Sophocles prorsus alia argumenta tractavit,[1]) quae Hyginus fab. LXXXVIII enarrare videtur; propterea quoque suspicor eum prius illud de discidii initio argumentum, quod in capite fabulae posuit, brevissime tantum tangere, scil. ut rerum conexum exponeret; cetera enim satis fuse narrat. — Brevitati scholiastae tribuendum videtur, quod non narrat, qua ratione Atreus imperium recuperaverit; cum enim in primitiva fabula hoc fuerit, eum a Iove ipso, solem regredi iubente, ut legitimum regem designatum esse, in Sophoclea fabula, in qua illud miraculum transpositum erat, nova ratio capessendi imperii requiritur. Id mihi reiciendum videtur, eandem quam Euripides Sophoclem rationem adhibuisse, nempe ut Atreum per suam rerum caelestium cognitionem regnum adeptum esse fingeret. Ita enim idem de solis regressu argumentum bis in eadem fabula sub diversis formis occurrisset. Immo ea testimonia, unde illud concludi possit, ad „Thyestas" referendas censeo, nisi omnino Sophoclis nomen per errorem pro Euripidis positum est: cf. Soph. frg. inc. 671 et 672 cum nota Achill. Tat.: *Σοφοκλῆς δὲ εἰς Ἀτρέα τὴν εὕρεσιν (τῆς ἀστρονομίας) ἀναφέρει.* — Iam via hoc modo patefacta quatenus ceteris de utraque tragoedia testimoniis adhibitis progredi possimus, videamus. Ribbeckio et Straussio[2]) astipulandum est, Ennium Euripidem, Accium Sophoclem secutum esse, quod etiam eo firmatur, quod Accius quoque Solis regressum post cenam Thyesteam posuit (fr. XIII). Certum hoc videtur, apud Euripidem Thyestam ficta paupertate atque miseria supplicem cum filiis ad fratrem venisse (cf. Strauss., l. c. p. 59/60). Itaque hoc probabilissimum est, eum initio fabulae (in prologo) cum filiis ad aram Iovis (cf. Ep. Vat.: *ἐπὶ τὸν Διὸς βωμόν*, et frg. Enn. VII: Aspice hoc sublime

---

[1]) Cf. superioris paginae notam 2.

[2]) L. c., p. 58 sqq.

candens, quem invocant omnes Iovem) sedisse atque spectatoribus quis esset patefecisse; huc cum Ribbeckio referendum frg. IV:

Quemnam te esse dicam, qui tarda in senecta?

Illud igitur argumentum: „Thyestam cum filiis ad aram sedentem" Euripides ex antiqua memoria sumpsit, etiamsi agendi rationes Thyestae prorsus immutavit. Quid Thyesta contra fratrem molitus sit, quomodo ille eum eiusque insidias cognoverit, tamen ficta gratia eum deceperit, non iam possumus discernere. Tamen eum pueris ad exsequendum dolum usum esse non ita veri est dissimile, quia hoc artificio facillime potuit misericordiam movere. Fragmentum illud, quo Atreus de scientia sua rerum caelestium atque imperii occupatione gloriatur (861), ex longiore q. v. ῥήσει Atrei, qua suas virtutes, fratris iniurias exponebat, sumptum videtur. — Sophoclea fabula, ut supra exposuimus, et Aeropae poenam et cenam Thyestae et caedem ipsius Thyestae continuit. Cum igitur in his sceleribus, i. e. Atrei ulciscendi effrenato furore repraesentando, summa dramatis posita fuisset, talia qualia Euripides finxit, insidias Thyestae, cognitionem eius, Sophocles omisisse putandus est. Immo etiam frg. III Atrei Accianae docet Thyestam statim advenientem, idque sua sponte, ab Atreo, qui eius scelera iam perspexisset, cognitum esse:

iterum Thyestes Atreum adtractatum advenit,
iterum iam aggreditur me et quietum exsuscitat:
maior mihi moles, maius miscendumst malum,
qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

Praeterea apud Accium videmus Thyestam in scaena ipsa cognoscere horrendum facinus (frg. XIV), apud Ennium vero Thyestes iam conscius factorum egreditur e domo (fr. VIII). Itaque ego non dubito scaenam illam vere tragicam Senecae, quam eum non ex suo ingenio hausisse opinor, eam dico, qua Thyestes post ipsam cenam primum dormiens, deinde modo securus cantans, modo curis vexatus ostenditur (Thy. 901 sqq.), ad Sophoclem referre. Antiquum ἐκκύκλημα clare etiam cognoscitur vv. 901/2:

— turba famularis, fores
templi relaxa, festa patefiat domus;

quae coniectura cum eo convenit, quod Sophoclem cenam potissimum horrendam voluisse repraesentare concluseramus. Praeterea hoc quoque Senecam a Sophocle mutuatum esse puto, quod maximum filiorum, Tantalum, adulescentulum finxit, quocum altercaretur pater. Hac arte Sophocles fabulae actionem variare conatus est, cum filium audacem credulum sperantem, patrem anxium providentem fingeret, simodo Accius eum secutus est; cf. frg. IXa, de quo Cicero: „Quae ille a Iove ortus suis praecipit filiis. Nostis cetera, nonne?:

Id quod multi invideant multique expetant inscitiast
Postulare, nisi laborem summa cum cura ecferas.“ —

In antiqua fabula filii Thyestae sunt infantes, cf. Aesch. Ag. 1096: *κλαόμενα τάδε βρέφη*. — Iam quibus fere temporibus fabulae doctae sint, quae ratio inter ambas intercedat, eruere quomodocunque conemur. Euripides fabulam, quae est de Solis regressu, pristino loco retinuit, licet eam ad rationis leges accommodaverit, Sophocles egregio illo transponendi artificio fabulam novavit: itaque forma Euripidea mihi prior esse videtur, praesertim cum tales miraculorum interpretationes praecipue prima suae poesis aetate coluerit. Iam vero ex nota illa Acharnensium scaena (393 sqq.), in qua Dicaeopolis ab Euripide pannos quam maxime laceratos sordidosque mutuatur, novum ad definiendum fabulae Euripideae tempus argumentum sumi posse mihi videtur. Quamvis enim ex antiqua fabula Dicaeopolis ibi petat pannos (v. 415: *δός μοι ῥάκιόν τι τοῦ παλαιοῦ δράματος*), tamen antiquissimas propterea noluerim hoc loco afferri putare, quia Aristophanem eas tantum, quas ex ipsa scaena noverit, citare consentaneum est, praesertim cum non verba, sed ipsum habitum aspectumque personarum rideat. Si autem Aristophanem non multo ante a. 450 natum fuisse homines docti recte coniecerunt, vix ante a. 440 eum spectaculis publicis interfuisse iure statuemus; (pueris hoc licuisse sequitur ex Ar. Nubb. 539.) Puerum autem vividi ingenii ex ea aetate talia spectacula memoria tenere non est mirandum. Itaque fere post a. 440 Thyestam doctam esse statuendum est. Accedit quod illud artificium, supplices in ara sedentes inducendi, quantum videmus, ab anno ca. 430 demum Euripides saepius adhibuit, ita ut Thyestes quoque, in qua illud occurrisse suspicamur, illi tempori proxima

sit collocanda. Cum quo tempore hoc quoque optime convenit, quod apud Euripidem culpa dirorum scelerum parum pie in Apollinem refertur: cf Enn. frg. I:

Set me Apollo ipsus delectat [lactat], ductat Delficus.

Constat autem saepius Euripidem castigare Delphici oraculi perfidiam, quia in bello Peloponnesiaco a Lacedaemoniorum partibus stabat. His omnibus argumentis comprehensis non erraturos nos confido, si Thyestam Euripideam sub initio belli Peloponnesiaci doctam esse statuemus. — Ad Sophocleae fabulae tempus definiendum haud scio an illud praebeat ansam, quod Tantalum, Thyestae filium (sive aliud ei nomen erat, fortasse Aglai, secundum schol. Eur. Or. 812), adulescentulum, non puerum, induxit, quem usum certa quadam aetate (circa annum 420) viguisse infra (p. 288) demonstrabo. — Hactenus progredi conatus sum in harum tragoediarum tenebris; de pueris, quorum causa haec omnia molitus sum, hoc addendum est: tres (ut videtur secundum antiquam memoriam), quorum maximus apud Sophoclem iam adulescentulus fuerit, in scaenam prodiisse, patrem ex exsilio redeuntem comitantes; Euripideos cum patre ad aram consedisse. Nominibus, quae affert scholiasta Euripideus, pueri ex usu tragoediae sine dubio caruerunt. Ne verba quidem eos fecisse arbitror (praeter adulescentulum apud Soph.), quia eorum condicio non erat talis, ut cantum Euripidem (qui solus id omnino ausus esse videtur) iis tribuisse credamus. Prorsus enim sunt periculi necopinantes.

Simillimam atque in Atreo materiam Sophocles tractavisse videtur in **Tereo**, cuius fabulae conexum mirabili ingenio Welckerus restituere conatus est, suspicatus ille et Accium et Ovidium Sophoclis vestigia legisse. Imprimis ille constituit, (quod ab omnibus probari videtur), Sophoclem fabulae actionis tempus posuisse post Terei taetrum facinus, post Terei Philomelaeque adventum. Itaque argumentum fabulae fuisse hoc: Procnam, cum missa a sorore tela cognovisset eam captam et absconditam in eadem domo morari, eam liberavisse, deinde ambas foedum illud supplicium de Tereo sumpsisse, omnes tres in aves esse commutatos. Hoc quoque Ovidianum (Met. VI, 587 sq.):

Tempus erat, quo sacra solent trieterica Bacchi
Sithoniae celebrare nurus etc.

ad Sophoclem esse referendum Welckerus perspexit (cf. Acc. Ter. frg. IV). — Iam quid nos de ipsa tragoediae actione ex Ovidio etiamnunc cognoscere possimus, videamus. Quoniam constat Ovidium ipsum actionis tempus a Sophocle accepisse, etiam ea, quae deinde narrat de sorore liberanda, de taetro consilio capiendo, convenire fere cum Sophoclis fabula putandum est. Adde quod eas res Ovidius ita depingit, ut sane scaenae speciem legentibus excitet. Ad unum Sophoclem autem omnes posteriores de hac re narrationes redeunt,[1]) neque id spectavit Ovidius, ut nova fingeret, sed ut argumenta accepta quam elegantissime narraret. Iam hoc patet, Sophoclem matrem in concipiendo consilio (mactandi ipsius filiolum Ityn) titubantem, dubie haerentem finxisse; namque hominem inducere voluit, non bestiam; cf. Ov. Met. VI, 624 sqq.:

Ut tamen accessit natus matrique salutem
attulit et parvis adduxit colla lacertis
mixtaque blanditiis puerilibus oscula iunxit,
mota quidem est genetrix infractaque constitit ira,
invitique oculi lacrimis maduere coactis.

Chorum, fortasse ex Bacchantibus constantem, conspirasse cum Procna necesse est; aliter enim illa contra regem non potuit palam dolos nectere. Cui obstrepere videtur frg. Acc. IX, quod chori esse inde apparet, quod is qui loquitur de suo loco decedere nolle aut non posse videtur; en aspice verba:

Set nisi clamaris regem, puerum auferre ab regina occupo.

Hoc autem si chorus dicit, cum Procna puerum arripit, ut eum interficiat, putanda est coram choro et aliquo actore (fortasse servo), cui chorus deinde illa verba (*Set nisi* etc.) dicat, consilium suum verbis et factis temere patefecisse. Hoc per se ipsum non probabile est; minime vero Ribbeckio velim astipulari, cum matrem ferali furore puerum arripuisse (in ipsa scaena) suspicetur; hoc enim Sophocle non dignum. Immo etiam hac in re Ovidium sequentes Sophoclem deprehendemus.

---

[1]) cf. schol. Ar. av. 281: ὁ Σοφοκλῆς πρῶτον τὸν Τηρέα ἐποίησεν, εἶτα Φιλοκλῆς.

Itaque sic scaena cogitanda est: Coram choro in publico furit Procna atque incertum aliquid cum sorore molitur; tum vero, simulatque prodiit Itys, eius cum coniuge similitudine cognita, ferale nascitur in illius mente consilium, quod tamen, ne arceatur, non nisi tecte significat; cf. Ov. l. c. 619 sqq.:

peragit dum talia Progne,
ad matrem veniebat Itys. Quid possit, ab illo
admonita est: oculisque tuens immitibus: 'a quam
es similis patri' dixit; nec plura locuta
triste parat facinus tacitaque exaestuat ira.

Puer, si Ovidium sequimur, fere quinque annos natus cogitandus est (Ov. 438/9); tamen puerulum eius aetatis revera in scaena egisse non putabimus ex ratione poetarum satis perspicua, de qua infra disputabo (p. 279 sqq.). Immo puer intellegendus est, qualis forte Eurysaces in Aiace fuit. Verba eum in scaena non fecisse statuo eadem de causa, qua supra Thyestae liberos mutos fuisse conclusimus, praeterquam quod omnino, quantum videmus, Sophocles pueros tacere iussit. Contra hoc quoque Ovidianum iure scaenae vindicabimus, puerum matrem (porrecta dextera) salutavisse, complexum esse etc., ita ut illa iis ipsis pueri blandimentis commota et perturbata in contrarias cogitationes distraheretur. Iam Procna cum Philomela puerum in domum abducit; (hoc quoque in scaena antiqua necessarium servavit Ovidius, cf. v. 636:

nec mora, traxit Ityn;

sequentia vero:

veluti Gangetica cervae
lactentem fetum per silvas tigris opacas

Ovidianum est ornamentum.) Tunc vero servum (sive servam) ex domo prodiisse arbitror, ut choro (i. e. spectatoribus) diceret suspicari se (sive certo scire), mulieres puero mortem moliri, ita ut ille (chorus) hoc non admitti debere ratus servum iuberet regem arcessere; hoc enim solum loco fragmentum illud Accianum inseri posse mihi videtur (*Set nisi clamaris regem* etc.). At, ut saepe, chori conamina sunt inania; iam cena taetra paratur, qua inscius fruitur Tereus. — Tantum mihi ex reliquiis cognosci posse videtur. Iam si, quo fere tempore Tereus tra-

goedia orta sit, indicia quaerimus, primum, si Thracium fabulae colorem respicimus, monendum est Atheniensium animos anno circiter 436, sc. quo Amphipolim condebant, ad Thraciam maxime conversos fuisse. Commercio enim cum illis locis orto gentes illas septentrionales earumque mores apud Athenienses non solum innotuisse, sed etiam magis respectas esse consentaneum est. Itaque haud scio an Sophocles quoque, ut Tereum scriberet, illis rebus commotus sit, praesertim cum ipse primus eam materiam tractaverit.[1]) Ergo paullo post a. 436 Tereum doctam esse iure statuemus. Accedit alterum argumentum. Respice quaeso, quanta inter hanc Procnam et Medeam Euripideam intercedat similitudo. Neque enim solum utraque suum filium, ut coniugis iniurias ulciscatur, interficit, sed utrobique mulier queritur crudelem suam sortem, quae cum saevis incultisque viris cogatur vitam degere ex patria in aliena loca abrepta. Cf. Soph. fr. 524 (ex Tereo):

νῦν δ' οὐδέν εἰμι χωρίς· ἀλλὰ πολλάκις
ἔβλεψα ταύτῃ τὴν γυναικείαν φύσιν,
ὡς οὐδέν ἐσμεν. αἱ νέαι μὲν ἐν πατρὸς
ἥδιστον, οἶμαι, ζῶμεν ἀνθρώπων βίον·
τερπνῶς γὰρ ἀεὶ παῖδας ἁνοία τρέφει.
ὅταν δ' ἐς ἥβην ἐξικώμεθ' ἔμφρονες,
ὠθούμεθ' ἔξω καὶ διεμπολώμεθα
θεῶν πατρῴων τῶν τε φυσάντων ἄπο,
αἱ μὲν ξένους πρὸς ἄνδρας, αἱ δὲ βαρβάρους,
αἱ δ' εἰς ἀληθῆ δώμαθ', αἱ δ' ἐπίρροθα.
καὶ ταῦτ', ἐπειδὰν εὐφρόνη ζεύξῃ μία,
χρεὼν ἐπαινεῖν καὶ δοκεῖν καλῶς ἔχειν.

Nonne Euripideam nobis videmur audire mulierem? Cum his conferas praecipue, quae Medea loquitur apud Eur. a. v. 230. — Contra aperte argumentum Euripideae Thyestae in hac fabula tractatum est; ambo autem argumenta, hic arcte conexa, in taetriorem partem aucta sunt, ita ut ego dubitare vix audeam, quin illa sint priora, haec fabula posterior. Ante Herculem

[1]) cf. not. p. 252. De Thracia Sophoclei Terei indole, cum primitus fuerit Megarensis, cf. Hiller de Gaertringen, de Graecor. fab. ad Thrac. pertin. Berol. 1886, p. 35 sqq.

Euripideam Tereum doctam esse Wilamowitzius docuit (Herc. II², ad v. 1022), ita ut satis angusto temporis spatio — inter Medeam aut Thyestam et Herculem — incluserimus Tereum.

Liberos ab altero parente trucidatos Sophocles tertio in **Tyrone altera** tractavisse videtur. Harum enim fabularum, quae adhuc discerni non iam posse videbantur, alteri subfuisse Tyronis cum filiis ex Neptuno natis, Pelia et Neleo, recognitionem atque supplicium de noverca sumptum, alteri prorsus aliam fabulae formam, sc. Tyronem ipsius filiolos, quod oraculum accepisset, eos patrem suum occisuros, sua manu trucidasse, Engelmannus ostendit.[1]) Itaque pueros illos in scaena apparuisse verisimile est.

Pueros prodiisse in Sophoclea **Laocoonte** probabile est, quoniam Laocoontis filiorum (qui quidem in antiqua memoria ubique pueri sunt) interitum argumentum tragoediae fuisse demonstravit Robertus.[2]) Cognovit ille duos, non patrem, occisos esse a Porce et Chariboea, ex Calydnis insulis vehentibus, qui homines postea viderentur angues facti.[3]) Scaena acta videtur ante templum Apollinis Thymbraei; eius enim sacerdos primitus Laocoon fuit. Itaque duos pueros prodiisse putandum est, nisi forte Sophocles, id quod saepius fecit, illos pueros aetate paullo maiores finxit, ita ut non a veris pueris, sed ab adultis actoribus eorum partes susciperentur. Sed res non potest diiudicari.

In Sophoclis **Captivis** (*Αἰχμαλωτίδες*) Astyanactis mortem expressam fuisse recte vidit Welckerus. Quamvis autem multa frustula exstent, tamen de progressu fabulae pauca apparent. Scite nuper M. Mayerus[4]) de Sophocleae Captivarum argumento disputavit, Accianae fabulae fragmenta et hypothesim (Serv. ad Aen. III, 489) circumspecte adhibens. Itaque tantum scimus: duces Achivorum Calchante, ut videtur, suadente (frg. 39) Astyanactem interimendum constituisse; puerum vero a matre absconditum ab Ulixe (Procl.) repertum morte multatum esse.

---

[1]) Arch. Jahrb. 1890, p. 171.

[2]) Bild und Lied, p. 192 sqq.

[3]) Conclusit hoc Robertus potissimum ex schol. Lycophr. 347.

[4]) M. Mayer, de Euripidis mythopoeia capita duo; dissert. inaug. Berol. 1883, p. 52 sq.

Iam Mayerus cognovit illum Sophocleum Astyanactem paullo maiorem natu fuisse, qualem fere Brygus in nobili illo opere finxit.[1]) Namque ex frg. 38:

εἰ μικρὸς ὢν τὰ φαῦλα νικήσας ἔχω

apparere videtur eum locutum esse de factis suis fortibus; itaque puerum talem, qualem cogitamus Euripideum Astyanactem, omnino illum non existimabimus. Immo Sophocles de antiqua epica memoria, secundum quam Astyanax infans fuit[2]), recessisse videtur, cum puerum talem induceret; sicut omnino videmus eum pro pueris saepius adulescentulos substituere. Revera igitur pueri in hac fabula fuerunt partes nullae, sed susceptae sunt potius Astyanactis partes ab uno ex tribus legitimis histrionibus, sicut Menoeceum in Eur. Phoenissis et Hyllum in Soph. Trachiniis ab histrionibus repraesentari videmus. Menoeceus, cum non pugnae particeps sit, certe impubes cogitatur, quocum concinit etiam ratio, qua de eo loquuntur, cf. v. 947: οὗτος δὲ πῶλος. Hyllus autem vulgo sane puer cogitatur; cf. hypoth. ad Trach.: Ἡρακλῆς δὲ ἐντειλάμενος Ὕλλῳ, . . ., τὴν Ἰόλην ἀνδρωθέντα γῆμαι. Non secus loquitur Ovidius Epist. IX, 44: *puer Hyllus.* Tamen in tragoedia est adulescens, siquidem ab histrione legitimo repraesentatur (cf. etiam v. 60: πάρεστι χρῆσθαι τἀνδρί). Quod Astyanax apud Sophoclem se ipsum μικρὸν vocat, in hoc non offendendum est: eodem iure Menoeceus Euripideus πῶλος dicitur. Facile autem cogitari potest eos histriones, qui minore statura erant, tales (ut etiam feminarum) partes suscepisse; fortasse etiam externo apparatu (calceorum) figura diminuebatur. Plura de hoc pueros, qui propiores sunt adulescentiae, inducendi more, infra (p. 288) disputabo. Astyanax igitur Sophocleus, is enim nobis erat propositus, viriliter se gessit, raptores et inda-

---

[1]) v. Heydemann, Iliupersis auf einer Trinkschale des Brygos, Berl. 1866, T. I = Wien. Vorl.-Bl. Ser. VIII, T. IV.

[2]) cf. Il. parv. frg. 18, 3/4:

παῖδα δ' ἑλὼν ἐκ κόλπου ἐϋπλοκάμοιο τιθήνης
ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ πύργου κτλ.

Itaque errat Mayerus, cum dicat secundum epicam memoriam Astyanactem aetate maiorem fuisse.

gatores suos vehementer laesit, turbavit, in scaena ipsa nimirum se verum patris filium professus postremum forti animo morti obviam ivit.

Puerum eiusdem fere aetatis, sc. paene iam adulescentem, merito **Troilum** Sophocleum intellegemus, quippe quem poeta in cognomine fabula ut amatum ab Achille induxerit, quales pueros aetate paullo provectiores fuisse constat. At impubes omnino in vulgari memoria cogitatur, cf. testimonia, quae Welckerus congessit, Gr. Trag. I, 134 sq. Idem ille primus eam fabulam, qua Achilles Troili amator fuisse narratur (quae quidem primo apud Lycophronem 307—313 occurrit), ad Sophoclem referre conatus est. O. Iahnius, qui omnino docte de hac re disputavit,[1]) aliud eius fabulae testimonium demonstravit in vasculo quodam Apulo recentioris aetatis, in quo Troilus nudus cum equo ad puteum cernitur; a tergo Achilles armatus, cui Minerva viam monstrat, caute appropinquat eum, ut videtur, oppressurus. Columba, quae taeniam gerens ad Troilum advolans conspicitur, nec non gracilis venustusque habitus, quem consulto artifex Troilo tribuisse videtur, rem aliquam amatoriam subesse fidem faciunt. — De tragoediae argumento autem hoc in schol. T Il. Ω 257 traditur: *ἐντεῦθεν Σοφοκλῆς ἐν Τρωίλῳ φησὶν αὐτὸν ὀχευθῆναι ὑπὸ Ἀχιλλέως ἵππους γυμνάζοντα παρὰ τὸ Θυμβραῖον καὶ ἀποθανεῖν.* Quibus verbis, si traditam lectionem servamus,[2]) quamvis obscaene hoc indicari videtur, Achillem Troilum in ipso amplexu interfecisse. Et cum hoc scholio et cum vasculi illius pictura mirum in modum concinit id quod Servius ad Aen. I, 477 affert: *veritas quidem hoc habet, Troili amore Achillem ductum palumbes ei, quibus ille delectabatur, obiecisse, quas cum vellet tenere, captus ab Achille in eius amplexibus periit.* Talia Sophoclem finxisse facile credemus, simodo totam eius naturam iis voluptatibus minime repugnantem respexerimus; moneo de nota illa narratiuncula, quam de Sophocle et puero ministrante Io Chius tradidit (Athen. XIII, 604 sq.), moneo, quod ipse, quantopere iis rebus delecta-

[1]) Telephos und Troilos und kein Ende, ein Brief an Herrn Prof. F. G. Welcker zum 16. Oct. 1859, p. 11, T. III.

[2]) Welckerus haud probabiliter coniecit λογχευθῆναι pro ὀχευθῆναι. Nam requiritur novum Sophoclis inventum.

retur, fabula satyrica, quae Ἀχιλλέως ἐρασταί inscribitur, patefecit. Qua in re longe distat ab Euripide, homine severo, quem scimus totam Chrysippum ad condemnandum puerorum amorem conscripsisse. Quae cum ita sint, ego illud Ovidii testimonium, quod ad Achillis amatores Nauckius rettulit, Troilo vindicandum puto, praesertim cum haec sit illius loci vis, etiam tragoediam, quamvis severae naturae sit, descendisse ad obscaenos iocos; de fabula satyrica, cuius vis in illis iocis posita est, talia monere ineptum est. Ecce locus Ovidianus (Trist. II, 409—412):

Est et in obscaenos deflexa tragoedia risus
multaque praeteriti verba pudoris habet,
nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem,
infregisse suis fortia facta modis.

Troilum in fabula fortiter se gessisse, ab Achille interfectum esse,[1]) docent haec verba paedagogi (frg. 562):

τὸν ἀνδρόπαιδα δεσπότην[2]) ἀπώλεσα.

Fabulae structuram ut ex his exilibus reliquis restituamus, vix continget. Hoc addendum, quod vel per se patet, Troili personam a legitimo histrione gestam esse.

